MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80274-28

AUTHOR:

STUVE, WILHELM

TITLE:

AD CICERONIS DE FATO LIBRUM...

PLACE:

KILIAE

DATE:

1895

Master Negative #
91-80274-28

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Stüve, Wilhelm, 1872-
Ad Ciceronis De fato librum observationes variae; dissertatio inauguralis quam ... scripsit Guilelmus Stüve ... Kiliae, ex officina H. Fiencke, 1895.
57 p. 28½ cm.

Thesis, Kiel.


Vol. of pamphlets.


Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10.2.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)












PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600



Ad Ciceronis De fato librum observationes variae.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in

Universitate Christiana Albertina Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Guilelmus Stüve

Suerinensis Megalopolitanus.

Adversarii erunt:

H. Frese, Dr. phil.
E. Seidenstücker, cand. phil.
A. Sundermeier, cand. phil.

KILIAE.

Ex officina H. Fiencke.

MDCCCLXXXXV.

No. 9.
Rectoratus 1895/96.

Imprimatur:
Dr. **Oldenberg**,
h. t. decanus.

Ivoni Bruns

sacrum.

I.

De libri Ciceroniani parte posteriore (§ 20—33).

A. Schmekel, qui in Ciceronis De fato librum nuper inquisivit[1]), magnopere meruit de libello ad cognoscendam historiam philosophiae utilissimo, sed temporum iniuriis misere turbato. Ille enim non solum partes libri deperditas ex aliis scriptoribus, qui Cicerone utebantur, restituere conatus est, sed etiam totum pendere Ciceronem a scriptione quadam Clitomachi, si §§ 41—45, de quibus infra disputabo, exceperis, mihi quidem persuasit. Confirmavit igitur, quod Zellerus[2]) suspicatus erat, Gerckius[3]) et M. Meinecke[4]) negaverant.

Sed alia sunt, de quibus dissentiam a v. d., quae vel de compositione libelli vel de interpretatione singulorum locorum minus recte videtur constituisse.

Atque de compositione totius operis haec ille praefatus (p. 165 sq.): »Von der Einleitung abgesehen zerfällt Ciceros Schrift de fato in drei Teile: Der erste hat zunächst, wie wir gesehen haben, eine kurze Darstellung der Lehre Chrysipps über das Verhängnis gegeben und darauf ihre Bestreitung von der Astrologie aus. Er reicht bis c. 10, 20 . . . Der zweite Teil umfasst c. 10,20 – 17,39. Er behandelt den Streit Chrysipps und Epikurs über die Frage, ob jeder Aus-

---

[1]) in libro suo: Die Philosophie der mittleren Stoa. Berol. 1892; p. 155—184.
[2]) Phil. der Griechen. III,1[3], p. 651, adn. 1.
[3]) Chrysippea, Fleckeis. annal. tom. suppl. XIV, ao. 1885, p. 693.
[4]) Progr. Marienwerder 1887.

spruch wahr oder falsch sei und berichtigt die darauf gestützten Folgerungen (c. 10,20—12,28 m.). Diese Berichtigung giebt Veranlassung zu der Auseinandersetzung über den sog. *ἀργὸς λόγος*, in welcher gezeigt wird, dass die Lehre Chrysipps trotz seines Widerspruches eben diesen *ἀργὸς λόγος* zur Folge habe (c. 12,28—16,38). Im letzten Teile (c. 17,39 ff.) wird der Widerspruch zwischen der Ethik und dem Fatum entwickelt.« — haec ille praefatus primum eam partem, quae incipit a c. 10, Carneadeae esse originis exponit.

Etiam nobis primum apertum erit hanc partem veri simile esse in Clitomachi [1]) quoque scriptione, ex qua sua hausit Cicero, fuisse priorem. Illum enim, quia id potissimum egit, ut Chrysippum refelleret, consentaneum est Chrysippi argumenti dispositionem secutum esse. Hanc autem partem etiam in Chrysippi libro, qui *περὶ εἱμαρμένης* inscriptus erat, praecessisse primum per se veri valde est simile. Proficiscitur enim Stoicus initio capitis X. ab ea sententia, quae quasi principium est argumentandi, qua utuntur Stoici ad stabiliendam universam de fato doctrinam: »omne *ἀξίωμα* aut verum esse aut falsum.« Quae autem a capite quarto usque ad nonum tractantur, doctrina de divinatione et de eo, quod fieri potest, quasi accedunt ad principalem illam quaestionem, quam accuratius expoliunt et contra adversarios vario modo eam impugnantes defendunt. Deinde confirmatur Diogeniani fragmentis apud Eusebium servatis (cf. Gercke, Chrysippea, l. c. p. 748 sqq). Dicit enim Diogenianus initio fragmenti primi (p. 748,2 sqq).: *Οὗτος (Χρύσιππος) γὰρ ἐν τῷ πρώτῳ ʽπερὶ εἱμαρμένηςʼ βιβλίῳ βουλόμενος δεικνύναι τὸ δὴ πάνθʼ ὑπʼ ἀνάγκης καὶ τῆς εἱμαρμένης κατειλῆφθαι* . . . . . Hoc ipsum est, quod ut comprobet Chrysippus a capite decimo Ciceroniano operam dat. Initio autem fragmenti tertii idem Diogenianus hoc exhibet: *ἐν τῷ δευτέρῳ (βιβλίῳ) λύειν πειρᾶται τὰ ἀκολουθεῖν δοκοῦντα ἄτοπα τῷ λόγῳ ʽπάντα κατηναγκάσθαιʼ λέγοντι* . . . . . et initio

[1]) Notum enim est ipsum Carneadem nihil scripsisse eiusque praecepta a Clitomacho edita esse.

fragmenti quarti: *φέρει δὲ καὶ ἄλλην ἀπόδειξιν ἐν τῷ προειρημένῳ* (sc. *δευτέρῳ*) *βιβλίῳ τοιαύτην τινά· μὴ γὰρ ἂν τὰς τῶν μάντεων προρρήσεις ἀληθεῖς εἶναί φησιν, εἰ μὴ πάντα ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης περιείχοντο.* Eadem priore parte Ciceroniana contineri quis non videt? Ordiamur igitur a capite decimo atque quid sit argumentum huius partis, percenseamus.

Schmekel hunc locum (usque ad § 38) iterum dividit in particulas duas (p. 166): »Der zweite Teil umfasst c. 10,20—17,39. Er behandelt den Streit Chrysipps und Epikurs über die Frage, ob jeder Ausspruch wahr oder falsch sei, und berichtigt die darauf gestützten Folgerungen (c. 10,20—12,28 m). Diese Berichtigung giebt Veranlassung zu der Auseinandersetzung über den sogen. *ἀργὸς λόγος*, in welcher gezeigt wird, dass die Lehre Chrysipps trotz seines Widerspruches eben diesen *ἀργὸς λόγος* zur Folge habe (c. 12,28—16,38).« Hanc divisionem bipartitam veram esse nego. Sed veniamus ad singula.

Anteponitur toti quaestioni (ineunte capite X.) Chrysippi argumentum, quo fatum probare studet, cuius summa haec est: Inter omnes constat omne enuntiatum aut verum esse aut falsum. Quod autem sine causa fit, neque verum neque falsum est. Sequitur nullum motum esse sine causa. Quod si ita est, omnia causis fiunt antegressis, i. e. fato.—

Contra hanc argumentationem primum affertur quid Epicurei disputent (usque ad § 23). Qui etiamsi omnia fato fieri optimo iure negant, tamen ad refutandos Stoicos non recta utuntur ratione. Non solum enim minimam quandam esse declinationem atomorum sine idoneis argumentis statuunt, sed etiam, cum declinationem illam nulla causa motam esse velint, adversariorum enuntiatum: omne *ἀξίωμα* aut verum esse aut falsum, quod verissimum est, perperam reiciunt. Epicureorum autem rationi opponitur (c. 11) Carneades. Plane consentit ille cum Epicureis minime posse concedi nihil esse in mundo, quod non fato insuperabili regatur; contra esse quendam animi motum voluntarium. Sed ut hoc demonstret non confugit ad ineptas illorum ar-

gumentationes, sed ratione progreditur et via. Ita enim concludit: Concedendum est Stoicis motum nullum esse sine causa, minime vero omnia fieri causis antecedentibus. Multa enim voluntate nostra fiunt, quibus causas quidem subesse nemo negabit, neque tamen externas et antecedentes. Voluntatis enim causae in nostra ipsorum natura positae neque extrinsecus accedunt neque antecedunt. — Qua de causa etiamsi omne enuntiatum aut verum esse aut falsum Stoicis concedit, tamen omnia ad causas antecedentes vel ad fatum revocanda esse plane infitiatur. — Habes Carneadis rationem, in quam aliis quoque locis scripti nostri incidimus. Cuius videlicet summa haec est esse praeter fatum etiam liberam voluntatem, quae causis quidem regatur, neque tamen antecedentibus vel externis, sed quae in nobis ipsis positae sint.

Ineunte igitur § 26 verbis: „Quod cum ita sit, quid est, cur non omnis pronuntiatio aut vera aut falsa sit, nisi concesserimus fato fieri quaecunque fiant" Carneadis argumentatio finita est; sequitur Chrysippi contra hanc ipsam Carneadis opinionem defensio. Hoc loco igitur primam statuemus partem esse confectam. Erravit enim Schmekel, si quae inde a § 27 sequuntur cum eis, quae contra principium capitis decimi directa sunt, (§§ 23—25) cohaerere putavit (p. 169: Dieser Abschnitt, §§ 23—28, bildet somit eine einheitliche Erörterung). Dicta sunt contra ea, quae § 26 a Chrysippo Carneadi opponuntur; quare falso vicesima octava demum paragrapho hanc partem finitam esse voluit. Videbimus enim inde a § 27 (c. 12) plane novas a Carneade proferri rationes.

Sed sententiarum progressum accuratius examinemus. Vidimus Carneadem omnia pendere a causis antecedentibus negare, quod Chrysippus, cum una cum causis antecedentibus etiam fatum subverti intellegeret, non potuit concedere. Itaque hac via Carneadi occurrit: Quaecunque res fiunt, eas antequam eveniant veras fuisse futuras consentaneum est. Priore igitur iam tempore, quo nondum evenerant, causas earum fuisse necesse est, secundum quas postea evenire debebant. Ex quo sequitur illas res causis effici antecedentibus. Itaque omnibus rebus non possunt causae non an-

tecedere. — Haec fere Chrysippus significat brevi sua refutatione § 26: „quia futura vera non possunt esse ea, quae causas, cur futura sint, non habeant," in quibus verbis liquet vocem „futura" summi esse momenti et quasi cum accentu quodam efferri, ut refellatur Carneades, qui omnia causis antecedentibus fieri infitiatus erat.

Carneadis porro quae nunc sequitur confutatio cum § 23—25 non ita cohaeret, ut eiusdem disputationis Carneadeae quasi partes quaedam sint a Cicerone dissolutae (id quod esse Schmekelio [p. 169] videri modo memoravimus [p. 4]); sed ut Chrysippus verbis „quia — evenerint" § 26 nova protulit, ita contra eum nova argumentatione utitur Carneades. Hoc enim modo argumentatur: Id, quod factum est, necesse quidem est vel sescentis annis ante verum fuisse. Itaque si Scipio Numantiam cepit, et ante multa saecula enuntiatio: „Scipio Numantiam capiet" vera fuit neque potuit ullo tempore non vera esse. Neque tamen inde sequitur causas aeternas esse, quae prohibeant quicquam secus cadere atque casurum sit. Fortuitae enim sunt causae, quae efficiant, ut vere dicantur, quae de futuris vere dicantur. Num autem possint praedici talia, hoc loco non curat scriptor, praedicta ea esse praesumit logicae explicationis causa et vetat inde falsa de causis rerum concludi. Quamquam igitur res quaedam, quae certo eveniet, non minus immutabilis est futura quam cum iam facta est, tamen neque nexus causarum neque fatum neque necessitas extimescenda sunt.

Non accurate igitur Schmekel (p. 169) hanc disputationem his verbis circumscripsit: „Vielmehr seien die Ursachen, die bewirkten, dass etwas in Zukunft wahr werde, was jetzt nur möglich sei, an sich zufällig." Neque enim Ciceronis sententiam liquide reddit, si futuras res „möglich," eas, quae acciderunt, „wahr" nominat. Nam de eo, quod fieri potest (möglich) loco nostro non disseritur neque contenditur illa, quae re vera futura sint, vera esse futura. Sed praesumitur ubique ea iam nunc vera esse, id quod apparet ex his Ciceronis dictis: „An aliter haec enuntiatio vera esse non potest: Capiet Numantiam Scipio?" et „sic futura,

quorum consequenti tempore vera erit instantia, ea vera dicemus.“

Concluditur porro tota Carneadis refutatio his verbis (§ 28): „Etenim erit confiteri necesse: Si haec enuntiatio, Veniet in Tusculanum Hortensius, vera non est, sequitur, ut falsa sit. Quorum isti (i. e. Epicurei, ut supra vidimus) neutrum volunt, quod fieri non potest.“ Quibus verbis Cicero revertitur ad initium capitis decimi, quo Chrysippus certam stabilemque sententiam posuerat omne enuntiatum aut verum esse aut falsum; quod axioma verum esse Cicero vel Carneades plane confitetur. Aperte igitur his verbis disputatio concluditur, qua de causa Schmekel (p. 169), ut iam diximus, usque ad hunc locum priorem totius partis particulam extendit. Non videt tamen eo loco, quo nos quidem primam incisionem fecimus, eodem modo Ciceronem ad initium disputationis redire, cum § 26 ita dicat: „Quod cum ita sit, quid est, cur non omnis pronuntiatio aut vera aut falsa sit, nisi concesserimus fato fieri, quaecunque fiant?“ Duas igitur partes usque ad § 28 absolutas esse tenebimus.

Sed difficultas quaedam inesse mihi videtur in verbis supra allatis, quibus § 28 Carneades argumentationem terminat. Codices enim omnes post verba: „Et tamen tam est immutabile venturum, cum est verum, quam venisse; nec ob eam causam fatum aut necessitas extimescenda est“ pergunt „etenim.“ — Quod si ita scripsit Cicero, confirmantur hoc enuntiato ea, quae praecesserunt. Sed parum apte iterum id argumentum additur, ex quo tota disputatio praecedens pendet. Praeterea verbo „etenim“ sensus existit admodum, ni fallor, absurdus: Fatum non metuendum est; *nam* omne axioma aut verum est aut falsum. Etenim ex ipsa hac conclusione omne enuntiatum aut verum esse aut falsum Chrysippus concludebat *esse* fatum. Quare censeo verbum, quod traditum est, „etenim“ teneri non posse, sed scribendum esse „At enim,“ ut hic efficiatur ordo sententiarum: Non, quia res verae non minus vere futurae quam praeteritae pronuntiantur, ob eam causam fatum extimescendum est. Hac quidem in re recte Stoicos iudicare negamus. At enim id eis *concedimus* omnes pronuntiationes aut veras aut falsas esse. — Accedunt autem graviora, quibus eadem commendetur coniectura.

A verbis enim, quae iam sequuntur (§ 28): „Nec nos impediet“ plane nova incipit argumentatio; agitur enim paragraphis insequentibus de ignava ratione, quae dicitur, quam philosophi Graeci ἀργὸν λόγον appellabant. Quae ratio qualis sit, exponere supersedeo, quippe quae a Cicerone ipso dilucide expressa sit. Sed cum tota haec expositio nullo fere vinculo cum eis, quae antecedunt, coniuncta sit, quaestio exoritur, quidnam Cicero hac parte secutus sit, utrum ignava ratione Stoicos aggredi an ratione improbata eos adiuvare studeat. Videamus primo, quid Schmekel de re iudicet, quamquam non multa sunt, quae dicit (p. 166 m.): Diese Berichtigung giebt Veranlassung zu der Auseinandersetzung über den sogen. ἀργὸς λόγος, in welcher gezeigt wird, dass die Lehre Chrysipps trotz seines Widerspruches eben diesen ἀργὸς λόγος zur Folge habe — et p. 171 extr.: Also ist die Folgerung des ἀργὸς λόγος zwar auch eine Folgerung der stoischen Lehre und diese somit widerlegt .... Arbitratur igitur Schmekel hanc rationem ignavam a Cicerone vel a Carneade Stoicis exprobrari; et quamvis Chrysippus id, quod adversarii e doctrina sua colligant, refellere conetur, hanc ignavae rationis exprobrationem nihilominus iustam esse. Quam viri doctissimi opinionem ex ipso Cicerone refutare posse mihi videor. Itaque ut cognoscamus, quomodo argumentatio intellegenda sit, singulas sententias, quae quidem huic rei lumen adhibeant, examinemus.

Oritur expositio a verbis: „Nec nos impediet illa ignava ratio“. Quae verba Turnebus [1]) ita interpretatur: „Si in futuris immutabilitatem Diodoream statuamus, non impediet nos ignava ratio, ut eos impedit, qui fatum ponunt: nam in dissolvenda valde laborant“, i. e. nos quidem hac ratione, qua Stoici admodum premuntur, minime impedimur. Eadem igitur Turnebi atque Schmekelii sententia est, quoniam uter-

---

[1]) in Moseri editione Ciceronis De divinatione et De fato librorum, Francof. ad Moen. 1828, p. 678.

que ignavam rationem contra Stoicos dictam esse contendit. Sed rectius, ut mihi quidem videtur, verba „nec nos impediet“ artissime cum enuntiato antegresso coniuncta ita interpretabimur: Nec nos ignava ratio impediet, quominus Stoicum illud: omne enuntiatum aut verum esse aut falsum — probemus. Quodsi verum est, quod statim docebo, dubium restat, quanam de causa ignava ratio Academicos non impediat, utrum ea de causa, quia non iure Stoicis illa obiciatur, an propterea, quia, etiamsi contra Stoicos valeat atque eis quidem recte vitio vertatur, tamen in Academicos non valeat. Duplicem igitur noster locus admittit explicationem. Quarum eam, quam posteriorem posuimus (ἀργὸν λόγον etiamsi in Stoicos valeat, in ceteros non valere) falsam esse intellegemus, si capitis XIII enuntiatum secundum spectabimus, cuius sensus hic esse mihi videtur: rationem ignavam, si qua sit, non solum pertinere ad eos, qui fatum ponant, i. e. ad Stoicos, sed etiam ad eos, qui fato et sempiterna serie causarum non probatis id tantum autument omnem rem, quae re vera efficiatur, ab aeternitate veram esse. Quod cum ab ipso Carneade enuntiari viderimus, haec sententia, quae incipit ab „Licet etiam“, nihil aliud sibi vult nisi hoc: „Ratio ignava cum ita immutari possit, ut non solum spectet ad Stoicos, sed etiam ad alios philosophos, quin etiam ad Carneadem, non iure Stoicae doctrinae opponitur“. Concedendum quidem est enuntiatum, de quo agimus, cum eo, quod antecedit, parum arcte esse coniunctum. Nam hunc fere ordinem sententiarum exspectamus: Recte ratio illa ignava nominata est quae omnem tollat actionem. Sed iniustum est uni Chrysippo eam obicere. Licet etiam ita eam immutare, ut in Carneadem quoque valeat. Qui sententiarum nexus, etsi, ut agit neglegenter in hoc libello Cicero, non accurate expressus est, dubitari tamen nequit, quin Cicero propterea ignavam rationem Stoicis exprobrare non voluerit, quia eodem iure etiam Carneadi exprobrari possit.

Confirmatur autem haec mea sententia primis verbis paragraphi 31: „Carneades genus hoc totum non probabat et nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat. Itaque premebat alio modo nec ullam adhibebat calumniam“. Aperte enim hoc loco dicitur Carneadem, quoniam iure ignavam rationem Stoicis opponi negaret, abstinuisse se ab his aliorum calumniis eosque voluisse alio modo aggredi. Itaque totus hic locus, quo agitur de ignava ratione, non ut ea quae antecedunt et sequuntur sumptus est ex refutationibus Stoicorum a Carneade institutis, sed ipse Carneades defendit Stoicos ab impetu iniuste ab aliis in eos facto. Neque mirari debemus hac quidem in re Carneadem adversariis succurrere; ipse enim non minus quam illi probat praeceptum „omne axioma aut verum esse aut falsum“, quod, si recte ignava ratio Stoicis obicitur, haud scio an non teneri possit. Quae cum ita sint, confirmantur ea, quae supra (p. 6) exposui. Verba enim „Nec nos impediet . . .“ cohaerent cum antegressis, si modo mecum scripseris: „At enim erit confiteri necesse: Si haec enuntiatio vera non est, sequitur, ut falsa sit“, quibus verbis ipsis quoque Stoicis aliquid conceditur. Nimirum duo concedit Carneades Stoicis et verum esse axioma illud et recte eos contendere se non impediri ignava ratione. Falsissime autem Carolus Prantl in libro: Geschichte der Logik im Abendlande, tom I p. 489 de ignava ratione iudicat. Putat enim hanc rationem a Stoicis ipsis excogitatam esse, ut inertiam, qua ei, qui omnia fato regi vellent, correpti essent, confirmarent. Videlicet Stoici, in quos iram suam Prantl effundere solet, plurimum aberant ab ea stultitia, ut eam doctrinam defenderent, qua ipsorum disciplinam subverti necesse erat.

Atque nunc quidem apparet, ut mihi videtur, verba, quae Carneades § 31 „Si omnia — quaecunque fiunt“ contra Stoicos dicit, non recte iudicare Schmekelium[1]) prolata esse contra ignavam rationem, quae, quamvis a Stoicis improbata, tamen iure eis obiceretur. Nam primum ostendi ipsis Ciceronis verbis patere repudiari a Carneade ἀργὸν λόγον ut calumniam atque alio modo ab eo Stoicos impugnari. Deinde accuratius inspiciamus ea verba, quibus secundum

---

[1]) p. 171 m.: Carneades beweist gegen die Folgerung des ἀργὸς λόγος und die entsprechende Lehre Chrysipps, dass nicht alles vom Fatum abhängt, c. 14, 31.

Schmekelium ignava ratio Stoicis obicitur, verba dico § 31 „si — fiunt“, quorum hic fere sensus est: „Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia necessitas efficit. Id si verum est, nihil est in nostra potestate. Est autem aliquid in nostra petestate. Non igitur fato fiunt quaecunque fiunt.“ Vides in his verbis nihil pertinere ad ignavam rationem atque confatale illud, quo Chrysippus rem suam tueri studet; immo haec expositio in eos homines valet, qui liberam voluntatem infitiati omnia a fato insuperabili pendentia faciant. Itaque ita res se habet. Ineunte capite 14 verbis „Carneades — conclusio“ videtur quidem Cicero Carneadem secutus de ignava ratione disputare pergere. Re vera autem inde a verbis Carneadis „si omnia —“ prorsus de ea tacet atque iterum, ut fecit antea, cum Stoicis de fato pugnare incipit. Qua re negari nequit totam de ignava ratione expositionem ut alienum membrum aliunde insertum videri.

Accedit, quod tota de ignava ratione expositio ab argumento huius partis libelli Ciceroniani aliena est, quam partem supra vidimus versari in refellenda priore atque principali parte Stoicae doctrinae, quae priore libro Chrysippi exposita erat (cf. p. 2 sq.). Ab hac autem et per se patet alienam esse rationem ignavam et confirmatur Diogeniani fragmentis supra laudatis, ex quibus videmus de ignava ratione et de confatali, quod dicit, Chrysippum egisse in libro p o s t e r i o r e. Legimus enim in fragmento tertio (l. c. p. 751 l. 9 sqq.) hoc: *κέχρηταί τε* (*Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ*, cf. v. 2) *παραδείγμασι τοιούτοις τισί· τὸ γὰρ ἀπολεῖσθαι* (*φησί*) *θοἰμάτιον οὐχ ἁπλῶς καθείμαρτο, ἀλλὰ μετὰ τοῦ φυλάττεσθαι . . . , καὶ τὸ γενήσεσθαι παῖδας μετὰ τοῦ βούλεσθαι κοινωνεῖν γυναικί· ὥσπερ γὰρ* (*φησὶν*) *εἰ λέγοντός τινος Ἡγήσαρχον τὸν πύκτην ἐξελεύσεσθαι τοῦ ἀγῶνος πάντως ἄπληκτον ἀτόπως ἄν τις ἠξίου καθιέντα τὰς χεῖρας Ἡγήσαρχον μάχεσθαι* . . . . Tractavit igitur Chrysippus eisdem fere exemplis usus atque Cicero secundo libro confatale illud, quod *συγκαθειμαρμένον* dicit, quo ut doctrinam suam contra ignavam rationem defenderet, usum illum esse Cicero § 30 nos docet. Itaque cum a Chrysippo de ignava ratione prorsus alio libri sui loco expositum esse constet, vix dubium est, quin etiam Clitomachus ea

scripti sui parte, qua Chrysippi conclusiones supra allatas refutat, de ignava ratione non egerit. A Cicerone igitur §§ 28—30 ratione satis tumultuaria hoc loco insertae sunt.

Sed primum sequentia diligentius perlustremus, ut plane pateat ne verbo quidem redire Ciceronem ad ignavam rationem.

Ita igitur § 31 contra Stoicos pugnat Carneades: „Si omnia causis antecedentibus fiunt, omnia fiunt colligatione naturali et necessitate. Quod falsum est, cum multa nostra voluntate fieri appareat.“ Valet haec conclusio in Stoicos; eandem si quis etiam in eos proferre velit philosophos, qui non serie causarum omnia regi putent, sed id tantummodo autument omnia, quae fiant, ex aeternitate esse vera, erret. Absonum enim est colligere: „si omne futurum ex aeternitate verum est, omnia necesse est colligatione naturali, i. e. fato et necessitate fieri“. Magnopere enim a protasi Stoica: „si omnia fiunt causis antecedentibus“ differt Carneadea „si omne futurum ex aeternitate verum est“. Itaque qua tenentur Stoici conclusione liber est Carneades.

Hoc fere modo et sententiae procedunt inde a § 31 et a Schmekelio p. 170 extr. „Hieraus folgt — berührt wird“ et p. 171 extr. „Carneades beweist — ihrer Gegner“ §§ 31 et 32 recte explicantur. Ac probe ille cognovit, quomodo duae conclusiones, vera Carneadis et falsa adversariorum, inter se cohaereant, mihique persuasit voluisse Ciceronem duas adversariorum argumentationes hoc modo inter se opponi. Sed unum non vidit vir doctissimus, quod velim accuratius animum advertatis. Similia certe sunt ea, quae § 31 sq. Stoicis opponuntur a Carneade, eis, quae 26—28 exposuerat, ut 26—28 argumento fere concinunt cum 24. Tamen ut 26—28 non iterant disputationem paragraphi 24, sed aliqua argumentandi novitate non carent, ita vel 31—32 Carneadeae ratiocinationi novum induunt colorem. Novum enim est, quod in his paragraphis id potissimum urget, perperam Stoicos dicere Academicos secum consentire. Sed cum supra Chrysippi verba antecedere solerent, quae insequentibus Academicorum impugnabantur, nostro loco res alia est: p r a e -

cedit Carneades, sequitur Stoicus, iterum respondet Carneades.

At vidimus § 31 scriptam esse a Cicerone, ut aliena coniungeret, i. e. ut ab ignava ratione, quam de suo inseruerat, revertatur ad Clitomachei libri eam partem, quam §§ 21—28 secutus erat et nunc denuo secuturus est. Removeas §§ 28—31 (rectius usque ad „ita dicere“ in § 32), et omnia optime procedent. Tum verba Stoicorum (§ 32) videmus in Clitomacheo libro dicta esse contra id, quod apud Ciceronem §§ 27 et 28 legimus. Optime autem quadrant haec verba ad illarum paragraphorum argumentum. Omnes enim res Carneades ibi pronuntiaverat non aeterna serie causarum effici, sed ex aeternitate veras esse. Adversus hanc igitur disputationem optime intellegitur Chrysippum hoc modo respondere: „Quodsi conceditis, inquit, omne futurum ex aeternitate verum esse, fatum ipsum invití conceditis; etenim si ita res se habet, omnia nexu quodam causarum fiunt“. Habes causam, cur § 32 sq. iterum iterumque Carneades contendat non eandam esse suam causam cum Stoicorum.

Itaque fundamentum paragraphorum 20—34 est Carneadis doctrinae de fato Stoicorum refutatio, quae ita instituta erat, ut primum Stoicorum conclusione proposita (§ 20) Carneades suam sententiam exponeret (—26), deinde bis obloquerentur Stoici (primum § 26: „quia futura vera ...“, iterum § 32 „si omne futurum ...“) et refellerentur. Hunc sententiarum conexum turbavit eo, quod, postquam id quod primum opposuerant Stoici refutavit, argumenti similitudine inductus digressionem institueret de ignava ratione, utpote qua neque Stoici neque Academici iure vexarentur; deinde postquam explicavit, quo modo Stoici se ab illa defenderent, videtur Carneadis de eadem re opinionem prolaturus esse: sed nescio quo taedio correptus hac disputatione intercepta revertitur ad priora et interruptum argumentum pertexere pergit. Quod ita instituit, ut Carneadem, quem exspectamus de ignava ratione dicturum esse, breviter comprehendentem faciat, quae fere antea de fato dixerat, scil. ut alteram Stoicorum defensionem apte adnectat.

Hanc deinde Cicero paucis ita reicit, ut dicat multum

differre, utrum causa naturalis ex aeternitate futura vera efficiat, an etiam sine aeternis causis futura quae sint ea vera esse possint intellegi.

Sed iterum ad Schmekelium nobis redeundum est. Ille enim, ut p. 11 dixi, de Carneadis opinione (§ 32) Stoicis opposita recte rettulit p. 170: „Hieraus folgt — 171 berührt wird.“ Verba autem, quae praecedunt, non probo. Ita enim Schmekel p. 170: „Da derselbe (syllogismus ille, quo Stoici fatum esse demonstrabant: si omnia causis antecedentibus fiunt, omnia fiunt colligatione naturali) von Carneades durch den Hinweis auf die Thatsache, das manches in unserer Gewalt liegt, widerlegt wird, so sucht ein fingierter Gegner diese Widerlegung des Carneades dadurch, dass er für alles Zukünftige die Giltigkeit des absoluten Fatums in Anspruch nimmt (c. 14,32), zu nichte zu machen.“ Igitur in Stoico enuntiato potioris momenti esse vult vocem „omnia“ et ita putat voluisse Stoicos Carneadem subvertere, ut omnia nexu causarum fieri contenderent. Sed hoc non legitur § 32 nec potest legi. Nam et obscuram redderet veram huius paragraphi controversiam quam exposui p. 11, et absurdum Carneadis responsum (§ 32): „Multum enim differt, utrum causa naturalis ex aeternitate futura vera efficiat, an etiam sine aeternitate naturali futura quae sint, ea vera esse possint intellegi,“ quo ne tangitur quidem ea sententia, quae placuit Schmekelio. — Ceterum non bene Schmekel sententiam huius enuntiati ita reddit: „es sei ein wesentlicher Unterschied, ob alles von Ewigkeit her notwendig wahr sei oder ob das Zukünftige ohne diese Notwendigkeit von Ewigkeit her als wahr gelten könne.“ Re vera enim differentia non tam in eo posita est, utrum omnia necessitate fiant necne, sed ea, quae vera sint, utrum ex aeterna serie causarum pendeant an sine hoc causarum nexu ex aeternitate vera esse possint intelligi.

Unum addo de eis, quae sequuntur, quia cohaeret cum quibusdam antea expositis. § 33 enim Cicero Carneadem secutus ostendit, quoniam aeterna series causarum non sit, ne deos quidem posse vaticinari. Monere conducet hanc oraculorum refutationem non pugnare cum hoc, quod § 27 legimus, enuntiato: „An ... haec enuntiato ...: Capiet

Numantiam Scipio — . . . falsa potuisset esse, si esset sescentis saeculis ante dicta?" Primum enim Cicero in his verbis irreali quae nunc vocatur forma enuntiati condicionalis utitur, qua aliquid re vera praedici posse minime efficitur. Praeterea animadvertitur non adhibuisse illo loco scriptorem voces, quae vaticinationem significant. Disputat tantummodo de veritate „enuntiationis", qua continetur res futura. Itaque, ut p. 5 dixi, rationes logicas illo loco exposuit, vaticinatio utrum sit necne ne tangitur quidem. Hoc tantum contendit enuntiationem „Scipio Numantiam capiet" semper fuisse verum. Nunc videmus cum Carneade negare Ciceronem potuisse ullo tempore aliquid praedici.

Haec si recte disputata sunt, ea, quae de condicione exposuit Schmekel, quae inter § 1–20 et § 20—33 intercedat, falsa sunt. Fateor quidem me non omnem eius argumentationem intellexisse, quam p. 175 protulit. Sed apertum est utriusque partis argumentum ei videri ex una continentique disputatione Carneadis sumptum esse. Cf. p. 176, l. 3 et in media pagina:„ Dadurch nun —".

Immo ex plane alia regione Carneadeae disputationis sumpta sunt ea, quae § 20—33 Cicero exposuit atque ea, quae antea scripsit. Vidimus enim (cf. p. 2) sententias Carneadis, quas Cicero § 20—33 sequitur, in libro Clitomachi praecessisse eas, quae § 1—20 expressae sunt. Nam illae contra priorem, hae contra alterum Chrysippi librum directae sunt.

Quod prorsus confirmatur re accuratius examinata. Alia enim est Stoicorum ratio a Carneade refutata in utraque parte.

In altera enim parte Ciceroniani libri, quam dixi re vera esse priorem, severam habes et quasi rigidam fati doctrinam Stoicorum, quae non admittit id quod fieri potest. Cuius summa haec fere est: Omne enuntiatum aut verum est aut falsum. Itaque nullus motus sine causa est et quidquid accidit, causis fit antegressis. Itaque omnia pendent ex serie causarum et colligatione naturae; atque non solum, quae nunc fiunt, sed etiam quae futura sunt, ex aeternitate causas habent, cur ita eveniant.

Ex hac autem sempiterna atque immutabili serie causarum necessario sequitur atque a Chrysippo ipso conceditur (32) futura omnia vera esse, „ut ita certe eveniant, quemadmodum sint futura". Itaque quae aeternis causis antea constituta et praefinita sunt, fieri non potest, ut aut non aut alio modo eveniant; atque eadem de causa quae vicissim ut non fiant praestituta sunt, cum desint aeternae causae, nullo unquam modo fieri possunt. Haec necessario e Chrysippi doctrina consequi neque ipse negare potest et Academici quasi positum et concessum sumunt.

Iam vero statim apparet hanc doctrinam in priore parte Ciceronis, quae re vera posterior est valde esse remissam et minus severam. Paragrapho enim 13 Cicero Chrysippum ita affatur: „Tu et, quae non sunt futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiamsi id nunquam futurum sit: neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset." Itaque Chrysippus aliquid, quod non futurum, sed falsum sit, scil. cui nullae antecedant causae, tamen fieri posse, et quod verum futurum sit, cuius causae ex aeternitate certe constitutae sint, non necesse esse affirmat.

Differentia igitur utriusque partis apertissima est neque dubitare licet, quin ita explicanda sit, ut Ciceronianas ex Carneadeae refutationis plane diversis partibus haustas esse existimemus, quae adeo non cohaerebant, ut in eis ne explicaretur quidem haec Stoicae doctrinae discrepantia, quae sine dubio et explicabatur et castigabatur in media inter utrumque locum regione; hanc autem Cicero in eis saltem libelli partibus, quae diem tulerunt, non adhibebat.

Itaque teneamus § 20—33 contra principia Chrysippeae doctrinae directas esse, § 1—20 contra eiusdem posteriores partes.

II.

De notione τῆς συμπαθείας.

Priorem libelli Ciceroniani partem dolemus fato ita esse mutilatam, ut eorum, quae contra Posidonium de rerum contagione auctor disputaverat, nihil nisi extrema pars (§ 5 et 6) nobis reliqua sit. Quae res haud scio an inter causas versetur, cur et in his paragraphis et in sequentibus (§ 7—11), quibus cum Chrysippo de eadem re Cicero contendit, multa dubitationi obnoxia sint. Itaque si cui sententiam capitum III, IV, V recte percipere curae est, non poterit non alios scriptores adire, e quibus de notione contagionis edoceatur.

Contagionem docent exempla a Cicerone tribus illis capitibus allata eandem notionem esse intellegendam, quam eisdem fere exemplis illustratam in libris De natura deorum (II § 19) et De divinatione (II § 33 sq., § 142) cognationem, coniunctionem, continuationem, consensum, concessum naturae auctor vocat, quibus tamen omnibus nominibus ipse profitetur se Graecorum vertere *συμπάθειαν*.

Incipiamus a Sexto Empirico, qui adv. math. IX § 79 sq. de notione *συμπαθείας* secundum Stoicos accuratissime rettulit haec:

Ἐπεὶ οὖν καὶ ὁ κόσμος σῶμά ἐστιν, ἤτοι ἡνωμένων ἐστὶ σῶμα ἢ ἐκ συναπτομένων ἢ ἐκ διεστώτων · οὔτε δὲ ἐκ συναπτομένων οὔτε ἐκ διεστώτων, ὡς δείκνυμεν ἐκ τῶν περί αὐτὸν συμπαθειῶν. Κατὰ γὰρ τὰς τῆς σελήνης αὐξήσεις καὶ φθίσεις πολλὰ τῶν τε ἐπιγείων ζώων καὶ θαλασσίων φθίνει τε καὶ αὔξεται, ἀμπώτεις τε καὶ πλημμυρίδες περί τινα μέρη τῆς θαλάσσης γίνονται. Ὡσαύτως δὲ καὶ κατά τινας τῶν ἀστέρων ἐπιτολὰς καὶ δύσεις μεταβολαὶ τοῦ περιέχοντος καὶ παμποίκιλοι περὶ τὸν ἀέρα τροπαὶ συμβαίνουσιν . . . . Ἐξ ὧν συμφανὲς, ὅτι ἡνωμένον τι σῶμα καθέστηκεν ὁ κόσμος. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἐκ συναπτομένων ἢ διεστώτων οὐ συμπάσχει τὰ μέρη ἀλλήλοις · εἴ γε ἐν στρατιᾷ πάντων , εἰ τύχοι, διαφθαρέντων τῶν στρατιωτῶν οὐδὲν κατὰ διάδοσιν πάσχειν φαίνεται ὁ περισωθεὶς · ἐπὶ δὲ τῶν ἡνωμένων συμπάθειά τίς ἐστιν, εἴ γε δακτύλου τεμνομένου τὸ ὅλον συνδιατίθεται σῶμα · ἡνωμένον τοίνυν ἐστὶ σῶμα καὶ ὁ κόσμος.

Videmus ex his verbis Sexto *συμπάθειαν* causam esse, qua totus mundus et contineatur et unus sit et oppositus eis rebus, quae ex compluribus partibus sive congruentibus sive distantibus et disiunctis constant. Vim autem illam, qua mundus continetur, *πνεῦμα* a Stoicis appellari affirmat Alexander Aphrodisiensis *π. κράσ. καὶ αὐξ.* c. 10, p. 223, 6 sqq. ed. acad.: *Πῶς δ' οὐκ ἄτοπον καὶ τὸ λέγειν ἡνῶσθαι τὴν σύμπασαν οὐσίαν πνεύματός τινος διὰ πάσης αὐτῆς διήκοντος, ὑφ' οὗ συνέχεταί τε καὶ συμμένει τὸ πᾶν καὶ συμπαθές ἐστιν αὐτῷ*; eademque a Sexto l. c. § 84 sq. ita describitur: *ἀνάγκη ἄρα ὑπὸ τῆς ἀρίστης αὐτὸν φύσεως συνέχεσθαι, ἐπεὶ καὶ περιέχει τὰς πάντων φύσεις · ἡ δέ γε τὰς πάντων περιέχουσα φύσεις πάντως ἐστὶ λογική · οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ ὅλον τοῦ μέρους χεῖρον εἶναι. Ἀλλ' εἰ ἀρίστη ἐστὶ φύσις ἡ τὸν κόσμον διοικοῦσα, νοερά τε ἔσται καὶ σπουδαία καὶ ἀθάνατος · τοιαύτη δὲ τυγχάνουσα θεός ἐστιν.*

Hoc modo si universum cohaeret, necesse est inter singulas partes coniunctionem quandam intercedere, atque haec ipsa est *συμπάθεια*. Etenim cum per totum mundi corpus *πνεῦμα* illud diffundatur, simulatque una huius corporis pars aliquid patitur, aliae quoque partes afficiuntur (*συμπάσχουσιν*). Quidquid igitur alii parti accidit, per *πνεῦμα* transducitur ad aliam. Inde colligitur duas res eo naturalis contagionis genere, de quo hic agitur, inter se conexas non alteram ex altera c o n s e q u i, sed s i m u l atque ex una eademque causa fieri. Quare exemplo, quo utitur Sextus, non id docent Stoici corpus pati, p o s t q u a m digitus vulneratus sit, sed caeso digito s i m u l pati (*συνδιατίθεσθαι*) corpus. Itaque non c o n s e q u u n t u r ex lunae vicissitudinibus terrestres casus, sed uno tempore cum luna crescente atque sene-

scente et animalia crescunt vel decrescunt et aestus maris accedunt sive remeant; haud secus una cum ortu et occasu stellarum variae in aëre fiunt mutationes.

Quibus exemplis simillima ac ex parte plane eadem sunt ea, quae Cicero libri De divinatione locis laudatis (II § 33 sq., § 142) enarrat atque comprobat. Quibus, quoniam nihil fere novi praebent, praetermissis illa, quae in libro De fato § 5 inveniuntur, perscrutemur, utrum conveniant cum notione *τῆς συμπαθείας*, qualem Sextus describit, necne.

Antipatrum poëtam, quem primum Cicero affert, et Plinius maior (hist. nat. VII 51) et Valerius Maximus (I 8,16) uno atque certo cuiusque anni tempore, scil. die natali, tradunt febri esse correptum. Simul igitur accidunt duae res, et febris et dies natalis, quae ne minimum quidem consentire videntur.

Eodem modo etiam in altero exemplo morbus quidam (e. g. frigida febris, ut Turnebus interpretatur) inde consecutus esse videtur, quod quidam homines hieme nati erant, ita ut nexus appareat inter morbum et tempus nascendi.

Quibuscum exemplis convenit ratio tertii, quod est de aegrotantibus fratribus. Narrat enim Augustinus (de civ. dei 2,5) duos homines, qui semper eodem tempore aegrotaverint, Hippocratem geminos esse censuisse; Posidonium autem hanc fortunarum similitudinem rettulisse ad eandem constitutionem astrorum, qua nati essent. Non sequitur igitur morbus ex collocatione siderum, sed et morbus et constellatio per contagionem coniuncta sunt, quem conexum nostrae menti obscurum et medicus et philosophus enodare conantur.

Quod denique enumeratur exemplum de urina et unguibus ita intellegendum est, ut, cum aliquod corporis membrum morbo quodam correptum sit, simul etiam urina et ungues morbo ipso quidem minime affecta contagione naturae ita mutentur, ut et advenientes et ingravescentes morbos medici ex mutatione eorum providere possint.[1])

---

[1]) Cf. Celsum II c. 6.: Illa quoque mortis indicia sunt, ungues digitique pallidi, frigidus spiritus. Cic. De div. II § 142.

Vidimus ea quidem § 5 exempla, quae ipse Cicero comprobat, plane congruere cum illa notione *συμπαθείας*, qualem secundum Sextum modo constituimus. In omnibus enim duae res proponuntur, quae non tam nexu causarum inter se implicatae sunt quam mirabili quodam naturae concentu simul fiunt. Atque in eadem significatione contagionis posita sunt quae § 8 („Ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet aliquid, ad quasdam autem nihil: sic astrorum affectio valeat, si vis, ad quasdam res") Chrysippo Cicero concedit, scil. esse quandam rationem inter naturam loci astrorumve affectionem et corporis habitum ingeniique indolem. Hucusque igitur plane Cicero Stoicis adstipulatur, atque ipse ineunte § 5 valere affirmat naturae contagionem neque esse tollendam. Eodem autem loco negat iure ducere Posidonium contagionem vim quandam fatalem; ac perinde § 7 (Tamen neque illud tenue caelum efficiet — § 8 ... quam Kalendis.) extemplo desinit Chrysippo assentiri, ubi hic quidem non solum animi indolem, sed etiam a c t i o n e s hominum ad contagionem refert. Unde sequitur et apud Chrysippum et apud Posidonium *συμπαθείας* notionem latius patere quam videbatur secundum Sextum constituendum esse. Nimirum etiam actionum causas illi ex contagione naturae repetebant.

Quod ita se habere testatur Alexander Aphrodisiensis *π. κράσ. καὶ αὐξ.* c. 12, p. 227, 5 sqq.:

ὅ τε γὰρ περὶ κράσεως αὐτοῖς λόγος οὐκ ἐν ἄλλῳ τινί, ἀλλὰ καὶ τὰ περὶ ψυχῆς ὑπ' αὐτῶν λεγόμενα ἐντεῦθεν ἤρτηται ἥ τε πολυθρύλλητος αὐτοῖς εἱμαρμένη καὶ ἡ τῶν πάντων πρόνοια δὲ (»fort. *τήνδε*« Bruns) *τὴν πίστιν λαμβάνουσιν, ἔτι τε τὸ περὶ ἀρχῶν τε καὶ θεοῦ καὶ ἡ τοῦ παντὸς ἕνωσις τε καὶ συμπάθεια πρὸς αὐτό· πάντα γὰρ αὐτοῖς ταῦτ' ἐστὶν ὁ διὰ τῆς ὕλης διήκων θεός.*

Secundum hunc igitur locum ex deo illo vel spiritu (*πνεῦμα, θεός*), qui totum mundum permanat, non solum *συμπάθεια*, sed etiam fatum repetitur. Fatum autem cum catena sit et series causarum, etiam c o n s e c u t i o n i s significationem Stoicae contagionis notioni subesse videmus. Quare si quis h a n c definitionem *τῆς συμπαθείας* spectans aliquam

rem contagione fieri dicit, haec res illi non una cum alia evenire, sed ex illa consequi videtur; idem igitur est Stoicis ἡ συμπάθεια et ἡ εἱμαρμένη.

Qua re non mirum est non solum contagionem, sed etiam fatum adhiberi, ut mundum simplicem et unum esse demonstretur. Illud videbamus apud Sextum fieri, hoc apud Alexandrum, qui in libro De fato c. 22 ex ordine et continuatione causarum, quam quidem συμπάθειαν hoc loco non dicit, idem colligit. Etenim ita fere disputat: Docent Stoici totum mundum unum esse atque omnia in se continere et regi natura quadam, quae vita, ratione, mente praedita sit; hunc autem consensum atque unitatem naturae effici nexu quodam et ordine causarum ante constituto, ita ut, quae antecedant, eorum, quae sequantur, causae fiant. Quare nihil in mundo fieri, quod non cum antegressa quadam re ita sit conexum, ut illa causa eius sit; neque quidquam nasci, quod non ipsum quoque aliam rem pariat.

Quare non offendent cetera exempla § 5 a Cicerone improbata, quae sunt de Daphita, Philippo, Icadio, naufrago, quibus hoc commune est, ut quod viris illis accidit Posidonius referat ad fatum sive, quod illi idem valet, ad contagionem. Daphitae e. g. dicit Posidonius fatum fuisse ex equo cadere atque ita perire, quod re vera evenerit, cum e monte quodam, cui nomen fuerit „equus,“ ille praecipitarit. Quod si necessitudine evenisse Cicero plane negat, non solum contagionem et fatum idem esse reicit, sed ne fato quidem exempla illa explicanda esse concedit. (§ 6 fin.: „Quid ergo attinet fatum inculcare, cum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur?“).

Atque si iam ad Chrysippum accedimus, quem a § 7 usque ad **11** scriptor refutat, iterum videbimus non iam Ciceronem ei assentiri, ubi actiones ille et ordinem quendam causarum contagionem esse iubet. Sed breviter examinemus nexum sententiarum inde a § 7.

Contagio igitur quantum pertineat perquisiturus Cicero Chrysippo concedit multum interesse inter locorum naturas: „alios esse salubres, alios pestilentes“ (§ 7 init.). Post haec verba exspectamus scriptorem pergere: „in aliis procreari

homines sanos, in aliis invalidos“; nam corporis habitum ex natura loci contagione quadam dependere Cicero confitetur. Quae autem re vera sequuntur verba: „in aliis esse pituitosos et quasi redundantes, in aliis exsiccatos atque aridos“ — minime respondent antecedentibus „alios esse salubres, alios pestilentes“; nam et pituitosi redundantesque et exsiccati omnes invalidi atque infirmi sunt. Itaque etiam ante verba „in aliis esse pituitosos —“ cogitatione supplebimus: „alios locos esse humidos, alios torridos“.

Neque alia desunt festinationis vestigia, qua hoc loco Chrysippi expositionem reddidit. Velut parum accurate dicta sunt, quae sequuntur: „multaque sunt alia, quae inter locum et locum plurimum differunt“, ubi exspectas: „multa sunt alia, quibus ut loca ita hominum naturae a locis pendentes inter se differunt“, sive „quae inter loci naturam et hominum indolem conveniunt.“ Cuius neglegentiae mox luculentius occurret exemplum. Sed primum sententiarum nexum examinare pergam. Itaque quod concessit, inter naturam loci et hominum multa convenire, duobus exemplis illustratur: Athenis tenue caelum efficit, ut acutiores Attici putentur; Thebani crasso caelo pingues et valentes sunt.

Hactenus igitur Cicero adversario assentitur; falsissimum autem ducit, quod ille naturam loci non solum ad indolem, sed etiam ad facinora hominum summi momenti esse censet. Negat propterea unquam tenui caelo, quo ingenium acuatur, quemquam posse adduci, ut aut Stoicum aut Academicum aut Peripateticum audiat, atque crasso caelo corporis robur firmante posse permoveri, ut Nemea potius quam Isthmo victoriam petat.

Quibus exemplis fortasse e Clitomacheo libro repetitis addit alia e vita Romana sumpta[1]).

[1]) Transit ad haec verbis „diiunge longius“. Ita codices, a quibus pendet recensio libelli, Vossianus et duo Vindobonenses, „diiungo“ cod. Balliol., quem sequitur Hottinger (in editione Bremiana), et eum sequi debent, qui cum illo ad „diiungere“ supplent „loca“. Sed hoc absurdum est; nam non proponit scriptor in sqq. loca minus remota. Non pergit „neque Veiis caelum efficit, ut in porticu Pompei potius quam in campo ambulemus neque Faleriis e. q. s.“. Immo etiam exempla quae sequuntur Romana

In sequentibus autem apertum est eandem disputandi rationem sequi Ciceronem, quam §§ 26—32 ostendi (p. 12). Contra Stoicos disputat, sed ut via procedat eorum refutatio, certis locis ipsos adversarios Carneadis deductionibus obloquentes facit. Ita enim § 8 respondent Stoici: „At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent, alii libidinosi, alii iracundi aut crudeles aut superbi sint, alii talibus vitiis abhorreant; quoniam igitur tantum natura a natura distat, quid mirum est has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?“ — Huius disputationis quae sit summa, patet: differentes naturas hominum factas esse oportere ex differentibus causis, i. e. ex diversa natura loci vel collocatione siderum. Sed hoc modo vidimus Ciceronem quidem non infitiari, immo aperte ipsum confiteri (cf. supra p. 21). Iterum igitur neglegenter egit Cicero, cum id, quod gravissimum erat contradictionis adversariorum, omitteret. Nam Cicero Carneadem secutus id agit, ut ad a c t i o n e s contagionem nil valere doceat atque huic ipsi expositioni Chrysippum obloqui Ciceronem voluisse testatur id, quod Cicero § 9 Stoicis respondet: „Non enim, si alii ad alia propensiores sint propter causas naturales et antecedentes, idcirco etiam nostrarum voluntatum atque appetitionum sunt causae naturales et antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. Nunc vero fatemur, acuti hebetesne, valentes imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat ne ut sedeamus quidem aut ambulemus voluntatis esse, is non videt, quae quamque rem res sequatur. Ut enim et ingeniosi et tardi ita nascantur antecedentibus causis, item-

pendent a differentia caeli Attici et Thebani, nisi quod verbis „quid enim natura loci afferre potest“ haec differentia generalius quam antea exprimitur. Itaque „diiunge“ tenendum est, quod equidem ita puto explicandum esse: exempla quaere, quae longius absunt a suspicione contagionis. Nimirum, si quis consilio pro Zenone Theophrastum magistrum sibi elegit, potest hoc referri ad caeli vim, sub quo natus est. Si quis in porticu Pompei ambulare malit, quam in campo, nemo sanus in hanc explicationem incidit.

que valentes et imbecilli, non sequitur tamen, ut etiam sedere eos et ambulare et rem agere aliquam principalibus causis definitum et constitutum sit.“ Quod qui legit dubitare nequit, quin Stoici affirmaverint, siquidem indoles hominum a natura loci aliisque causis naturalibus, ut collocatione siderum, pendeat, etiam actiones ex indole consectarias talibus causis regi.

Itaque ita procedit Ciceronis sive Clitomachi contra Stoicos expositio: contagionem esse concedit, ad actiones nihil valere affirmat § 7—8; obloquuntur Stoici; respondet Cicero hac ratione liberam voluntatem tolli (§ 9 „haec disserens — haberet“). Deinde iterum molesta verbositate negat actiones a natura loci pendere („nunc vero — constitutum sit“). Denique § 10 causas addit, scil. Stilponis et Socratis exempla, qui docuerunt naturae indolem posse mutari; qua re voluntatem, cum indolem vincere et vitia naturalibus causis nata exstirpare possit, non subiectam esse naturae loci vel aliis eiusmodi causis.

III.

De eo, quod fieri potest *(τὸ δυνατόν)*.

Liberam voluntatem Cicero § 11 contendit tolli, „si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur". Divinationem enim positam esse in necessitate immutabili. Demonstrat igitur Cicero a capite sexto usque ad octavum Stoicos illo argumento, quo fatum tueri studeant, scil. divinatione, invitos eo adduci, ut quaecumque a fato pendeant necessario fieri ac nequaquam nostro labore mutari posse confiteantur. Itaque si astrologi recte concludunt: „Si quis oriente Canicula natus est, is in mari non morietur," haec coniunctio erit ex repugnantibus: »et est Fabius et in mari morietur"; ergo illud „morietur in mari Fabius" ex eo genere est, quod fieri non potest.

Omnis autem haec argumentatio eo directa est, ut ostendatur Chrysippum tali ratione vaticinia approbantem facere non posse, quin cum Diodoro Megarico consentiat, qui „id solum fieri posse dixerit, quod aut sit verum aut futurum sit verum."

Id ipsum autem negabat Chrysippus, cf. § 12: „vigila Chrysippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro, valente dialectico, magna luctatio est, deseras," et § 13: „At hoc, Chrysippe, minime vis . . .".

Ex quibus apparet Chrysippo iam ab aequalibus obiectum esse Stoicos idem docere atque Diodorum, Chrysippum autem hanc sententiam vehementer impugnasse, cui si adstipulari cogeretur, probe sciebat de libera voluntate, quamtenere volebat, actum esse. Eadem igitur argumentatione postea et Carneades utebatur et Cicero.

Iam vero quibus argutiis Chrysippus studebat a Diodoro se liberare, postea videbimus. Nunc examinabo, quid de Diodoro Cicero Carneadem secutus exposuerit. Cicero igitur, postquam monstravit Chrysippum, si, quae e doctrina sua consequerentur, recte colligeret, ad partes adversarii non posse non transire, vicissim capite IX exponit Diodori e doctrina minime consectaria esse fatum atque causas fatales ab aeternitate constitutas.

De Diodoro autem praeter Ciceronem certiores nos faciunt Alexander Aphrodisiensis in commentario ad Aristotelis Analytica priora (p. 183, 34 sqq. ed. ac.), Arrianus (Epict. II 19,1), Plutarchus (de Sto. rep. c. 46). E quibus Plutarchus nos docet placuisse illi: ***εἶναι δυνατὸν, ὅπερ ἢ ἔστιν ἀληθὲς ἢ ἔσται***, quod plane convenit cum Ciceronis verbis (§ 13): „Ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum aut futurum sit verum,« i. e. quod aut nunc fiat aut postea futurum sit. Quod enuntiatum firmabat philosophus nobilissima illa argumentatione, quae imposito nomine ***κυριεύοντος*** multa per saecula auctoritate florebat. In qua, ut Epictetus tradit, proficiscitur a duobus praeceptis: „omne, quod praeterierit, necessarium esse" *(**πᾶν παρεληλυθὸς ἀληθὲς ἀναγκαῖον εἶναι**)* et „ex eo, quod fieri possit, nunquam consequi quidquam, cui fieri non liceat" *(**δυνατῷ ἀδύνατον μὴ ἀκολουθεῖν**)*. Atque ex his, quae de illo argumento sola supersunt, argutissime Eduardus Zeller[1]) ratiocinationem Chrysippi restituit hanc: Quidquid factum est, retro verti ac mutari nequit. Itaque ex duabus rebus inter se contrariis simul altera evenit, altera non iam fieri potest; nam quod praeteriit vidimus mutari non posse. Quodsi id, quod non evenit, antea fieri potuisset, ex eo, quod ***δυνατόν*** erat, consecutum esset ***ἀδύνατον***. Hoc autem nullo modo cogitari potest; nam ***δυνατῷ ἀδύνατον οὐκ ἀκολουθεῖ***. Inde sequitur, quod non eventurum sit, id nunquam antea fieri potuisse, sed id unum, quod vel nunc eveniat vel certo futurum sit. Ergo: ***δυνατόν, ὅπερ ἢ ἔστιν ἀληθὲς ἢ ἔσται***.

---

[1]) Über den *κυριεύων* des Diodorus, in relatt. ac. Berol. 1882 p. 151 sqq. et Philos. der Gr. II a[4] p. 269 sqq.

Quo enuntiato Diodorus duas res excludit ab eo, quod *δυνατόν* appellat: et illa, quae cum praeterierint, necessaria atque immutabilia sint, et ea, quae neque nunc eveniant neque postea eventura sint. Idem est igitur secundum Diodorum „id quod fieri potest" et id, quod est vel erit, quare notio *τοῦ δυνατοῦ* eo sensu quo vulgo adhibetur tota a Diodoro tollitur. § 17: „Nihil fieri, quod non necesse fuerit"; § 20: „ii, qui dicunt immutabilia esse, quae futura sint"; conferas etiam § 13: „et quidquid futurum sit, id dicit Diodorus fieri necesse esse".

Iam vero videamus, quomodo Cicero argumentatione Diodori utatur. Primum dicit Stoicos debere de „eo, quod fieri potest." idem sentire atque Diodorum. Ex eis enim, quae de fato praeceperint, sequi *τὸ δυνατὸν* non admittendum esse. Iure igitur Chrysippo commendat, ut Megarico adsentiatur (§ 12: „vigila, Chrysippe . . .").

Simul autem negat (atque hoc alterum est) Stoicis, etsi cum Diodoro de „eo, quod fieri potest" consentire debeant, licere Diodori argumentatione uti ad stabiliendam suam de fato doctrinam: Diodorum enim non confirmare fati necessitudinem, sed verborum vim interpretari: (§ 20: nec ii — interpretantur = sie beweisen nicht die Notwendigkeit des Verhängnisses, sondern untersuchen nur logisch die Bedeutung der Begriffe.)

Hactenus omnia perspicua sunt et consentiunt cum eis, quae aliunde de Diodoro scimus. Sed plura rettulit de illo Cicero. Postquam enim dixit § 13: „ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum aut futurum sit verum," id quod vere Diodoreum est, pergit: „et quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse, et quidquid non sit futurum, id negat fieri posse." Quocum concinit § 17, 20.

Secundum Ciceronem igitur Diodorus futura docuit cum necessitate fieri; id autem in testimoniis de eo, quae supra attuli, non legitur. Haec si sequimur, Diodorus fieri posse dixit id, quod est sive erit, et necessaria esse praeterita. De necessitate futurorum tacebat is, qui tantummodo *δυνατοῦ* vocis vim interpretaturus erat.

Videmus igitur hoc loco coniunctam esse a Cicerone cum argumentatione *τοῦ κυριεύοντος* eam doctrinam, quam

scimus Carneadem amplexum esse, nihil fieri, quod non ex aeternitate verum fuerit (cf. supra p.5).

Atqui has res diversas esse ipse Cicero testatur eo loco, ubi fontem, ex quo pendet, i. e. Clitomachi verba accuratius exprimit, § 17: „Placet igitur Diodoro id solum fieri posse, quod aut verum sit aut verum futurum sit (en Diodorus!). Qui locus attingit hanc quaestionem: Nihil fieri, quod non necesse fuerit; et: Quidquid fieri possit, id aut esse iam aut futurum esse: nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quae futura sunt, quam ea, quae facta sunt." Vides verbis „qui — attingit hanc quaestionem" a Diodoro progredi scriptorem ad novam doctrinam similem quidem, sed non eandem. Quare ea, quae sequuntur, Carneadis sunt, non Diodori. Explicatur autem in sequentibus res futuras veras easque non minus veras esse quam res praesentes. Aliter de hac re censuerat Diodorus. Res enim futurae illius opinione non verae sunt, sed verae erunt, ut ex formula supra allata elucet: *δυνατὸν, ὅπερ ἢ ἔστιν ἀληθὲς ἢ ἔσται*. Itaque verba *ὅπερ ἀληθὲς ἔστιν* nihil significant nisi quod gignitur, nascitur, fit; quae vero nascentur atque futura sunt, ea *ἀληθῆ ἔσται* vel vera erunt.

Itaque in Ciceroniana disputatione non ipsum Diodorum tenemus, sed Diodorum a Carneade correctum. Is enim illius doctrinam ita excoluit, ut adderet res futuras necessarias esse ac non minus veras quam res praesentes vel praeteritas. Ad quam sententiam eo perductus est, quod doctrinam Diodoream coniungere studebat cum trito illo praecepto, a quo Stoicos proficisci vidimus: omne enuntiatum aut verum esse aut falsum. Ceterum hoc axioma ut multa alia a Stoicis ex Aristotele sumptum esse nonnulla dicta Aristotelica testantur: Cat. 10, p. 13 b 27: *ἐπὶ δέ γε τῆς καταφάσεως καὶ τῆς ἀποφάσεως ἀεὶ, ἐάν τε ᾖ ἐάν τε μὴ ᾖ, τὸ ἕτερον ἔσται ψεῦδος καὶ τὸ ἕτερον ἀληθές*. Sed cum Categoriae a Carolo Prantl (l. c. I p. 90 sq.) aliisque ab Aristotele abiudicatae sint, alium locum afferam, quem genuinum esse nemo negat, Anal. pr. p. 51 b 27 sqq.: *εἰ οὖν κατὰ παντὸς ἑνὸς ἢ φάσις ἢ ἀπόφασις ἀληθὲς, εἰ μή ἐστιν ἀπόφασις, δῆλον ὡς κατάφασις ἄν πως εἴη*.

Iam vero postquam, quae Carneades Stoicis obloquitur, enumeravimus, sequitur, ut de eis disputemus, quibus illi sententiam suam — *τὸ δυνατόν* non tolli ab eis, qui fato omnia fieri putent — contra adversarios defendant.

Atque apud Ciceronem quidem unum est argumentum eorum, quibus Chrysippus *τὸ δυνατὸν* defendebat, idque valde mirificum, cap. VIII.

Sunt autem verba Ciceronis haec: „Hoc loco Chrysippus aestuans falli sperat Chaldaeos ceterosque divinos neque eos usuros esse coniunctionibus, ut ita sua praecepta pronuntient: „ „Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non morietur,“ “ sed potius ita dicant: „ „Non et natus est quis or. Can. et is in mari morietur.“ “ . . . (Postulat igitur), ut negationes infinitarum coniunctionum potius quam infinita conexa ponant.“ — Agitur his verbis de enuntiatis infinitis, scil. quibus non de certo quodam homine vel de certa re disceptatur, sed quae generatim atque universe dicuntur, cf. Prantl, Gesch. der Logik I p. 444, qui sententiarum infinitarum exemplum affert: *τὶς κάθηται* (e Sexto adv. Math. VIII 96).

Monentur igitur Stoici, ut pro infinitis connexis (si quis . . .) ponant negationes infinitarum coniunctionum (Non et . . . et). Adhibetur autem, nisi fallor, vocula „coniunctio“ in hoc enuntiato sensu alio, quam ab ipso Cicerone paulo antea usurpatum est. Nam in verbis „quaero — ponant‘ „coniunctio“ idem est quod apud Diogenem Laertium VII § 72 Stoici *συμπεπλεγμένον* vocant: *συμπεπλεγμένον δέ ἐστιν ἀξίωμα, ὃ ὑπό τινων συμπλεκτικῶν συνδέσμων συμπέπλεκται, οἷον Καὶ ἡμέρα ἐστὶν καὶ φῶς ἐστιν*. In verbis autem, quae praecedunt: „neque eos usuros esse coniunctionibus“ huic voci significatio *τοῦ συμπεπλεγμένου* non adhaeret; nam quod sequitur „si quis . . . is . . .“ non est coniunctio artiore illo sensu, sed connexum vel *συνημμένον*. Cf. Diog. VII § 71: *συνημμένον μέν ἐστιν, ὡς ὁ Χρύσιππος ἐν ταῖς διαλεκτικαῖς φησι καὶ Διογένης ἐν τῇ διαλεκτικῇ τέχνῃ, τὸ συνεστὸς διὰ τοῦ Εἰ συναπτικοῦ συνδέσμου*. — Itaque hoc loco coniunctio aut idem valet atque *συνημμένον*

aut in universum dicitur de sententiarum nexu („Gedankenverbindung“).

Iam vero quo consilio Chrysippus secundum Ciceronem pro „si quis hoc fecit, is illud non faciet“ dixerit: „Non et hoc et illud faciet,“ i. e. „non idem homo utrumque, et hoc et illud, faciet,“ dubitare non licet. Qua mutatione id egit Chrysippus, ut evitaret illam conclusionem, quam § 14 ita expressit: „si igitur, quod primum in connexo est, necessarium est, fit etiam, quod sequitur, necessarium.“ Itaque quid voluerit, Cicero patefacit. Sed qua ratione sibi visus sit Chrysippus hoc adminiculo ad exoptatum finem accessisse, plane tacet. Quomodo enim ex mutata vulgari praecepti forma id consequatur, ut conclusio illa „in mari non morietur“ effugiatur ne uno quidem verbo Cicero explanat, sed satis habet aliis eiusmodi exemplis additis totam mutationem illudere (§ 15 sq.). Ludit enim medicis commendans, ut eam quam Chaldaeis Chrysippus rationem dicendi imponit ipsi quoque et geometrae accipiant et enuntiatum: „Si cui venae sic moventur, is habet febrem“ in hanc formam redigant: „Non ei venae sic moventur et is febrem non habet,“ — ex quo enuntiato videmus affirmativis praeceptis, ne particula „non“ anteposita sensus vertatur, negationem adiungi alteram.

Haec autem mirifica permutatio enuntiatorum condicionalium, si Ciceroni credimus, unum propugnaculum erat, quo Stoici doctrinam suam contra necessitatem munirent atque *τὸ δυνατὸν* tuerentur. Iterum igitur Ciceronem deprehendimus neglegenter placita adversariorum referentem atque pauca ex eis excerpentem: nam paullo infra Alexander Aphrodisiensis nos edocebit aliis compluribus modis Stoicos has adversariorum deductiones reicere conatos esse.

Difficile autem est id, quod Cicero interpretari noluit, explicare. Re vera enim etiam forma transmutata consentaneum est nihil aliud notari nisi non fieri, ut duae illae res una eveniant, i. e. si altera fiat, alteram non fieri. Nam „non et or. C. natus est et in mari morietur“ significat: non idem homo or. C. natus est et in mari morietur, i. e.

si or. C. natus est, in mari mori nequit. Vides vim utriusque elocutionis re vera plane eandem esse.

Atque pronum est suspicari emendasse suam dicendi formam Chrysippum, quia forma „non et . . . et“ minus certe et definite conclusio exprimatur quam connexo „si quis . . . is.“ Sed obstat, quod saepe quidem Chrysippus ipsa hac forma plane contraria spectavit. Cuius generis nonnulla collegit A. Gercke l. l. p. 704, ut ex Diogene Laertio VII § 82: *οὐχὶ τὰ μὲν δύο ὀλίγα ἐστίν, οὐχὶ δὲ καὶ τὰ τρία · οὐχὶ δὲ καὶ ταῦτα μέν, οὐχὶ δὲ καὶ τὰ τέσσαρα*, i. e. non et duo pauca sunt et non tria cet.; quae conclusio cur minus certa existimetur, causa non est. Quid? quod apud Plutarchum de comm. not. c. 39, p. 1080 C mutata forma n e c e s s a r i a conclusio pronuntiatur: *οὐκ ἔστι μὲν ἴσα ταῦτα ἀλλήλοις, ἄνισα δ' ἔστι ταῦτα ἀλλήλοις;* nam quae sibi paria sunt, non possunt disparia esse. Addit deinde Gercke alium ex eodem Plutarchi libro locum (c. 45, p. 1084 D) et e Cicerone De div. I § 83, ex quibus posterius memoratu dignum est. Enuntiatum enim „non igitur sunt dii nec significant futura“ non ita intellegendum est: „Dei neque sunt nec futura significant“, sed proximum enuntiatum: „Sunt autem dii, significant ergo“ testimonio est sententiam esse hanc: Non et dii sunt et futura non significant, i. e. si dei sunt, significant futura. — Itaque ipsam hanc formam valde videtur amasse et vel ad certissimas conclusiones adhibuisse.

Exemplis a Gerckio collatis addo porro Alexandri Aphrodisiensis de fato c. 35, ubi ex Chrysippo hanc conclusionem refert: *οὐ γὰρ ἔστι μὲν τοιαύτη ἡ εἱμαρμένη, οὐκ ἔστι δὲ πεπρωμένη, [οὐδὲ ἔστι μὲν πεπρωμένη], οὐκ ἔστι δὲ αἶσα* . . . et initio capitis 6, p. 169,20: *οὐ γὰρ κατὰ φύσιν μὲν ἐστιν ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπου . . . γίνεσθαι, οὐ καθ' εἱμαρμένην δέ* . . . et cap. 37, p. 210,15: *οὐ πάντα μὲν ἔστι καθ' εἱμαρμένην, οὐκ ἔστι δὲ ἀκώλυτος . . . ἡ τοῦ κόσμου διοίκησις*. Vides plane consentire hanc formam cum Cicerone, nisi quod graeco *μὲν . . . δέ* latine respondet „et . . . et.“

Quo accedunt duo loci, alter Ciceronianus iam a Gerckio allatus (Top. c, XIII § 53), alter Diogenis Laertii (VII § 80), quibus paululum quidem de mirifico hoc concludendi genere exponitur.

Cicero enim postquam argumentum: „Si legatum est argentum, legata est numerata pecunia“ in hanc formam transtulit: „Non et legatum argentum est et non est legata numerata pecunia, de hac forma mutata, quam tertium conclusionis modum appellat, ita disserit: „cum autem aliqua coniuncta (et . . . et) negaris et his alia negatio rursus adiungitur et ex his primum sumpseris („non et legatum est argentum“), ut quod relinquitur tollendum sit . . .“ (tum enim n o n accidit, ut non legata sit pecunia numerata).

Plane eodem modo, nostra forma a Diogene Laertio tertius conclusionis modus vocatur vel *ἀποφατικὴ συμπλοκη* (cf. Cic. De fato § 15: „negatio coniunctionum“). Stoici enim Theophrastum secuti quinque conclusionum genera distinguunt (cf. Prantelium l. c. I p. 473 et 387), quorum tertium Chrysippo usitatissimum a Diogene VII 80 ita definitur: *τρίτος δέ ἐστιν ἀναπόδεικτος ὁ δι' ἀποφατικῆς συμπλοκῆς καὶ ἑνὸς τῶν ἐν τῇ συμπλοκῇ ἐπιφέρων τὸ ἀντικείμενον τοῦ λοιποῦ, οἷον · οὐχὶ τέθνηκε Πλάτων καὶ ζῇ Πλάτων · ἀλλὰ μὴν τέθνηκε Πλ. · οὐκ ἄρα ζῇ Πλ.* . Ac simillime Sextus Empiricus (pyrrh. hyp. II 157 sq., cf. Prantl p. 473 adn. 182). Forma igitur mutata nihil est nisi propositio tertii modi syllogismorum, ut forma usitata („si hoc fit, illud fit“) primi modi propositio est.

Sed etiam haec, quam Cicero et Diogenes nobiscum communicant, scientia nos non provehit, cum nihil doceat, nisi quod iam supra (p. 29) statuimus, forma conclusionis mutata de sensu ne minimum quidem mutari. Nam sive tertii sive primi modi propositio syllogismi est, conclusio efficitur semper eadem.

P r o p o s i t i o m a i o r: Non et Fabius or. C. natus est et in mari morietur.

P r o p o s i t i o m i n o r: At natus est Fabius or. C.

C o n c l u s i o. Ergo in mari non morietur —; id igitur sequitur, quod effigiendum erat.

Deinde nolo Diogenis Laertii locum tacere, quo fortasse magis impeditur quaestio, in qua versamur. Ille enim VII § 65 ex Chrysippo refert: *ἀξίωμά ἐστιν ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἤ*

ψεῦδος. Quare quae nec *ψεῦδος* nec *ἀληθές* sunt, non numerantur inter axiomata. Itaque e connexis ille quidem nulla approbat nisi ea, in quibus id, quod apodosi contrarium sit, pugnet cum protasi, ut: si dies est, lux est (VII § 73; Sext. Emp. pyrrh. hyp. II 112). Minus igitur favere videmus Chrysippum enuntiatis condicionalibus, quod confirmat Alexander Aphrodisiensis ad Aristot. Anal. pr. p. 184,3 sqq. ed. ac.

Itaque si Diogenem sequimur, formam mutatam (non et . . . et) magis certam ac definitam Chrysippus duxit quam enuntiatum condicionale (si quis . . . is). At supra (p. 29) vidimus propterea Stoicum connexum (si quis . . . is) improbasse, quia apodosis („in mari non morietur") n e c e s s a r i o e protasi consequi videbatur. Vides pugnare inter se exempla a nobis collecta et Diogenis expositionem, quam repugnantiam fateor me tollere non posse.

Haec igitur summa est huius disputationis non liquere, quibus argumentis Chrysippus rationem illam fulserit. Sed fortasse frustra argumenta quaerimus saniora, ubi agitur de argumentandi ambagibus atque deverticulis, qualia ex hac ipsa Chrysippeae philosophiae regione Alexandri de fato libro novimus.

In hoc enim libro (c. X) e. g. Chrysippum Alexander narrat ita „id, quod fieri potest" servare studuisse, ut esse *δυνατόν* definiret id, quod quomodo prohiberetur ne fieret nesciremus.

Eadem argumentandi levitate si etiam in hac re usus est Chrysippus, et huic rationi et illi, de qua Alexander rettulit, fortasse similis subest dolus. Ad formam enim „non et . . . et", quippe quae conclusione careret, mente potest suppleri „quantum scimus". Tum autem enuntiato „non et natus est quis or. C. et is in mari morietur" nihil aliud exprimebatur nisi usque ad hunc diem talia una non accidisse et inde praeceptum licere sumere non s o l e r e accidere. Simul autem concedebatur nescire nos, quaenam res impediret quominus utrumque simul eveniret. Quodsi id, quod nescimus, cur fieri prohibeatur, *δυνατόν* dicitur, *δυνατόν* est Fabium tamen in mari interire.

Melius edocemur de tota hac parte Stoicae doctrinae Alexandri Aphrodisiensis libello *περὶ εἱμαρμένης*, qui cap. X. duo argumenta servavit, quibus Chrysippus *τὸ δυνατόν* fato non tolli demonstrare conatus est.

Atque primum ille Stoicorum *τοῦ δυνατοῦ* definitionem exponit. Dicit enim Stoicus apud Alexandrum (p. 176,15): *Δυνατόν ἐστι γενέσθαι τοῦτο ὃ ὑπ' οὐδενὸς κωλύεται γενέσθαι, κἂν μὴ γένηται.* Quocum consentit Quaest. I 4, p. 9,6: *εἴ γε δυνατόν ἐστι τοῦτο ὃ οἷόν τε γενέσθαι ἀκώλυτον ὄν* et p. 11,4: *καὶ γὰρ εἰ ἃ*[1]) *ἀναγκαῖον μὴ γενέσθαι ταῦτα τῷ κεκωλῦσθαι γενέσθαι οὐ γίνεται, ταῦτα οὐδὲ δυνατὰ γενέσθαι, εἴ γε δυνατὸν ὃ οἷόν τε γενέσθαι ἀκώλυτον ὄν.* Quibus non dubium est, quin Stoicorum definitio accuratius referatur, quam apud Ciceronem § 13: „tu et quae non sunt futura posse fieri dicis."

Nam id ipsum videntur pressisse Stoici *τὸ δυνατόν* esse id, quod quominus fieret, non i m p e d i r e t u r. Quare contra hoc potissimum Alexander pugnat, cum dicat (v. 19—23): „Id, quod non fit, quominus fiat, semper alia quadam causa impeditur. Nam id, quod efficit, ut res quaedam fiat, idem obsistit, ne contrarium eveniat".

Et artissime cohaeret cum hac definitione prius Chrysippi argumentum, quo servaturus est *τὸ δυνατόν*. Ita enim ille (Alex. de fato c. X. init.): „Ea, quae non fiunt, tamen fieri non prohibentur, quia, quidnam ea impediat, plane nobis ignotum est". In quo argumento Alexander exponit Stoicos errasse. Neque enim utrum talis causa sit necne a nostro iudicio pendere; atque nos causas illas nescire nullius esse momenti; nam si in nostra scientia *τὸ δυνατόν* positum esset, unam eandemque rem vatibus quidem, quibus causas notas esse consentaneum sit, veram esse futuram, ceteris hominibus, qui eas non noverint, non fore.

De altero argumento Alexander rettulit v. 7, p. 177. Neque hoc ut prius in universum dictum est, sed exemplo

[1]) Vocem *ἃ* addidi. Hac enim levi emendatione propius puto nos accedere ad sententiam veram, quam coniectura in editione academica proposita.

Stoici probare student enuntiationem quandam, quae contineat rem certe futuram ac fato destinatam, tamen notionem τοῦ δυνατοῦ admittere. Quod ita fere explicant: Enuntiatum quoddam, quo factum continetur fati necessitate certe eventurum, ut: „Cras pugna erit navalis“, necessarium non est; hoc nomine enim id significamus, quod semper verum est; illud autem dictum tum desinit verum esse, simul pugna navalis evenit; neque enim tum dicere licet: „*erit* pugna“. Itaque cum enuntiatum necessarium non sit, id, quod eo continetur, nihilo magis ita appellari potest, sed interea numerandum est, quae fieri possunt. Unde sequitur, ut etiamsi certe ac fato pugnabitur, tamen τὸ δυνατόν doctrina nostra non tollatur.

Hactenus Stoici. Sed primum moneo huius argumenti ultimum enuntiatum ab Alexandro non videri recte commemoratum esse. Legimus enim (p. 177,10): εἰ δὲ μὴ τοῦτο ἀναγκαῖον, οὐδὲ τὸ ὑπ' αὐτοῦ σημαινόμενον τὸ *ἐξ ἀνάγκης* ἔσεσθαι ναυμαχίαν. Ponit igitur differentiam inter ἀναγκαῖον et ἐξ ἀνάγκης ὄν. Sed verba ἐξ ἀνάγκης a Stoicis omnino non possunt addita esse, quippe qui, quod fato fiat, non fieri necessario demonstraturi sint. Nimirum Alexandro assentiemur haec e Stoica doctrina consequi, Stoici ipsi autem, cum hanc conclusionem improbent, non putandi sunt ipsorum argumentationem obscurasse.

Demonstrarunt igitur Stoici vel sibi demonstrasse videbantur dictum illud: αὔριον ἔσται ναυμαχία, quamquam fato immutabili eveniret, tamen necessarium appellari non debere. Quae ratio iterum, ut mihi videtur, argumentationis memoriam suscitat, quam apud Ciceronem offendimus, qua Chrysippus probabat praeceptum quoddam a vatibus datum, etiamsi argumentum eius fato fieret, tamen necessarium non esse. Nam etsi illa Chrysippi argumentatio non plane perspicua est, certe inter utramque haec intercedit similitudo, ut *res*, quam fatalem esse et necessariam conceditur, grammatica forma exprimitur, quae necessitatem effugiat.

Iam nos applicemus ad ea, quibus Alexander Chrysippi disputationem refellit. Atque primum quidem postquam in universam oscitationem eius irrisit (v. 14, 15), pergit v. 15: οὔτε γὰρ πᾶν τὸ ἐξ ἀνάγκης γιγνόμενον ἀναγκαῖον, εἴ γε τὸ

μὲν ἀναγκαῖον ἀίδιον, τὸ δὲ ἐξ ἀνάγκης γιγνόμενον ὑπ' αὐτοῦ τοῦ γίνεσθαι τοιοῦτον εἶναι κεκώλυται, οὔτε τὸ ἀξίωμα τὸ τοῦτο λέγον ἀναγκαῖον, εἴ γε μὴ τὸ ὑπ' αὐτοῦ σημαινόμενον τοιοῦτον. Concedit hoc loco Stoicis Alexander, si distinguere vellent inter „necessaria aeterna,“ i. e. ea, quae non procreantur, sed ex aeternitate sunt, et ea, quae fati necessitudine *gignantur* eoque non sint „aeterna necessaria,“ argumentum axiomatis illius a Stoicis necessarium dici non debere. Itemque concedit illis ipsum enuntiatum, in quo contineatur tale argumentum, non esse necessarium.

Atque adhuc quidem (ad v. 19) omnia facile perspiciuntur; sed quae sequuntur, offensione non carent. Pergit enim Alexander (v. 19): οὐ γὰρ πᾶν ἀξίωμα, ἐν ᾧ τὸ ἀναγκαῖον περιέχεται, ἀναγκαῖον ἤδη † εἴ γε μήν · οὐ γὰρ ταύτῃ τὸ ἀναγκαῖον ἀξίωμα κρίνεται, ἀλλὰ τῷ μὴ μεταπίπτειν δύνασθαι εἰς ψεῦδος ἐξ ἀληθοῦς, i. e. ne omni quidem enuntiato, cuius argumentum re vera necessarium sit, necessitatem attribui posse; neque enim ex argumento de necessitate axiomatis (τὸ ἀναγκαῖον ἀξίωμα) cuiusdam diiudicari, sed pendere eam ex eo, quod ipsum dictum nequeat ex vero in falsum mutari. Offendunt haec, si putandum est ἀναγκαῖον ubique eodem sensu usurpatum esse, quo v. 16 (scil. = ἀίδιον). Nam enuntiatum, quod tale ἀναγκαῖον continet, videtur non minus esse necessarium, quam illud, quod e vero in falsum mutari nequeat; nam quae necessarium amplectitur enuntiatio, minime in falsum vertitur. Quo accedit, quod Alexander ipse antecedente enuntiato aperte profitetur effatum, cuius sententia necessaria sit, ipsum esse necessarium (v. 17 sqq.): οὔτε τὸ ἀξίωμα τὸ τοῦτο (sc. τὸ ἐξ ἀνάγκης γινόμενον) λέγον ἀναγκαῖον, *εἴ γε μὴ τὸ ὑπ' αὐτοῦ σημαινόμενον τοιοῦτον*. Quare videtur ἀναγκαῖον v. 20 communi sensu dictum esse. Quod quominus credamus, nihil mihi obstare videtur; nam sine dubio in verbis ἀναγκαῖον ἤδη tantummodo de usitato voculae sensu cogitari potest. Itaque Alexander inde a v. 19 nihil aliud dicere videtur, nisi totam rationem Stoicorum, qui ex argumento de necessitate axiomatis iudicent, prorsus falsam esse atque vel tum, cum argumentum necessarium sit; immo alia via esse procedendum. Hic igitur exi-

stit ordo sententiarum: nullum axioma necessarium est sensu Stoico, nisi cuius argumentum ita necessarium est, ut illi volunt. Quid? quod nostra quidem sententia ea, quae necessarium et aeternum continet enuntiatio, necessaria non est. Etenim veritas e n u n t i a t i a nobis eo diiudicatur, utrum ipsum ex verǒ in falsum mutari possit necne.

Sed nolo tacere hunc sensum, si recte eum perspexi, ab Alexandro fortasse accuratius expressum fuisse; nam in verbis *εἴ γε μήν*, quae sensu carent et pro quibus Bruns dubitanter *δεῖ λέγειν* proposuit, vitium latet et fortasse lacuna statuenda erit.

Necessarium igitur si dictum illud non est, pergit Alexander, certe est verum. Ubi autem pugna navalis facta est, illud non modo non minus verum videtur, sed tum quidem addere licet verba *ἐξ ἀνάγκης*. Nam haec verba, quae antea. cum enuntiatum forma temporis futuri diceretur, eximenda erant (v. 24 sq.), nunc iure adiunguntur; simulatque enim proelium commissum est, axioma illud, cum retro verti nequeat, necessarium est neque iam notionem *δυνατοῦ* admittit.

In hac Alexandri argumentatione nonnulla putaverim nota nobis esse. Nam quod Alexander praedicat enuntiatum quoddam verum esse, si ex vero in falsum verti nequeat, nihil aliud est nisi Diodori sententia; nam non solum et vocem *ἀληθές* et locutionem „aliquid ex vero in falsum mutari" doctrinae Diodoreae proprias esse supra cognovimus, sed etiam eis, quae v. 26 legimus, verbis de Megarico admonemur, cum Alexander explicet pugnam navalem, donec futura sit, veram tantummodo esse, non necessariam; ubicunque autem sit commissa, necessitatem ab ea non esse abiudicandam. Eandem enim Diodori sententiam esse ut intellegamus, sufficit eius praecepta apponere: *δυνατόν, ὃ ἔστιν ἀληθὲς ἢ ἔσται* et *πᾶν παρεληλυθὸς ἀναγκαῖον*.

Itaque etiam Alexander, quem ad Ciceronis disputationem et supplendam et illustrandam adhibuimus, eodem modo, quo cum Carneade Cicero, ad refellendos Stoicos Diodoreis praeceptis usus est. Nimirum; nam Diodorus eo maxime idoneus erat, quo Chrysippus impugnaretur, quia similia eorum, quae postea placuerunt Stoicis, cogitaverat,

sed accuratiora inde concluserat. Itaque mirandum non est, quod et Carneades, qui id maxime agebat, ut Stoicos refelleret, ad Megaricum confugit eiusque decreta continuavit, et in Alexandri scriptis vel praeter nostrum caput Diodorea deprehenduntur in Stoicorum refutatione. In Quaestionibus enim (I, 4) Alexander demonstrat Stoicos, si modo sibi constent, non posse Diodoro non assentiri. Cuius nomen quidem apud Alexandrum ne in hoc quidem capite legitur.[1]) Sed res aperta est. Dicit enim Alexander haec fere: Sequitur, ut opinione eorum, qui omnia nexu quodam causarum fieri volunt, ea sola fieri possint, quae re vera fiunt (*ὅσα γίνεται*), cum, quod non fit, propterea non fiat, quia causis ante constitutis ne fiat impeditur. – Cuius argumenti prior pars ipsa Diodori sententia est, nisi quod hic pro *γίνεται* paulo accuratius dicit: *ἀληθὲς ἔστιν ἢ ἔσται*. Posteriore autem parte eodem fere modo scriptor Stoicos aggreditur, quo ineunte capite X libri De fato (cf. supra p. 33), ubi Diodorum secutus (cf. supra p. 25) ita disputabat: „Id, quod efficit, ut res quaedam fiat, idem obsistit ne contrarium eveniat".

Iterum Diodori ipsis verbis occurrimus p. 9 v. 30, ubi repetitur ex Stoicis praeceptis effici, ut ea tantum *δυνατά* sint, quae *ἔστιν ἢ ἔσται*. Atque omnino tota haec pars a v. 26 – 30, cum nihil contineat, quod non iam antea dictum sit, ideo additum esse mihi videtur, ut plane Alexander demonstraret faciendum esse Stoicis cum Diodoro.

Eiusdem philosophi admonemur ea huius capitis parte, quae a p. 12 v. 13 incipit, qua rursus explanatur ex duabus rebus contrariis unam fieri posse, scilicet eam, *καθ' ἧς ἀληθὲς τὸ ἔσται*, quam elocutionem Diodoro sollemnem esse novimus. — Satis iam demonstrasse mihi videor his quidem locis, i. e. capite X libri De fato et in quarta libri primi Quaestione Alexandrum Diodoreis armis Stoicos aggredi. Sed in appendice moneam, etsi in adhibenda Diodori argumentatione consentiunt Alexander et Carneades, me quidem nihil in

---

[1] Ne in libro de fato quidem legitur; sed in hoc adversariorum nomina consilio tacentur. Citatur Diodorus ab Alexandro comm. in Anal. pr. p. 184, 5; 183, 35.

Alexandro invenisse, quae Carneadi propria sunt. Desunt eae Carneadis sententiae, quibus Megarici doctrinam amplificavit, velut: „nihil fieri, quod non semper necesse fuerit" (Cic. § 17; cf. supra p. 27), „res futuras necessarias easque non minus veras esse quam res praesentes" (Cic. § 18: nec magis immutabile ex vero in falsum „Necatus est Scipio" quam „Necabitur Scipio", cf. supra p. 27). Quibus praeceptis fortasse simile est, quod legitur De fato c. X p. 177, 25: *ἀλλ' εἰ τότ' ἀληθές, ἀληθὲς ἔσται ἐνστάσης τῆς αὔριον, ἀξίωμα τὸ ἐξ ἀνάγκης γεγονέναι ναυμαχίαν*. Neque tamen hoc enuntiato significatur rem certe futuram non minus veram esse quam praeteritam, sed futuras quidem res veras esse, necessarias autem eas solas, quae iam praeterierint (cf. supra p. 36), quam sententiam novimus ad Diodorum ipsum redire. Alia autem, quae Carneadi similia videantur, non inveni.

Quo accedit, quod Carneades et Alexander, quamquam uterque in Stoicis quidem impugnandis Diodori vestigia sequitur, tamen de ea quaestione, quidnam sit *τὸ δυνατόν*, dissentiunt. Carneadem enim, quamquam nihil certi de hac re apud Ciceronem invenimus, tamen quod Diodoro placuit probasse liquet, quippe cuius doctrina non solum ad adversarios refellendos utatur, sed quam suppleat atque et Stoicis et Epicureis commendet (§ 18—20), quarum paragraphorum auctorem esse Carneadem inde apparet, quod in easdem sententias in §§ 21, 22, 27 incidimus, quas Carneadi Schmekel iure attribuit. Alexander autem procul abest, ut de interpretatione *τοῦ δυνατοῦ* cum Diodoro consentiat. Quam enim ineunte capite X libri De fato refutavit definitionem Stoicorum ipse adhibet Quaest. I 18 p. 30,27 sqq. Ubi postquam praemisit eam definitionem, qua in quarta quoque eiusdem libri Quaestione utitur (*δυνατὸν εἶναι οἷόν τε εἶναι ἢ γενέσθαι ἀκώλυτον ὄν*), ita pergit: *οὐ γὰρ τῷ πάντως γενέσθαι ἡ τοῦ δυνατοῦ κρίσις, ἀλλὰ τῷ μὴ κεκωλῦσθαι γενέσθαι αὐτό· δυνατὸν γὰρ οὐδὲν ἧττον τὸ μὴ κωλυόμενον ὑπό τινος περιστάσεως γενέσθαι πρὸς ὃ τὴν ἐπιτηδειότητα ἔχει, κἂν μὴ γένηται*. Non solum igitur verbis *οὐ τῷ πάντως γενέσθαι ἡ τοῦ δυνατοῦ κρίσις* diserte Diodoro obloquitur, sed addit etiam verba *κἂν μὴ γένηται*. taque non iam retinet opi-

nionem Diodori (cf. supra p. 25): eas res, quae non fiant, eo, quod contrarium eveniat, quominus fiant impeditas esse, sed nunc quidem id putat fieri posse, quod per naturam suam non prohibeatur esse vel futurum esse. Atque hanc sententiam quis non videt propius abesse a Stoicis quam a Diodoro? Retinet igitur vulgarem de notione *δυνατοῦ* opinionem, quae non flagitat, ut, quod fieri possit, semper re vera fiat. Qua in re consentit, ut par est, cum magistro Aristotele, qui Met. Θ 3 p. 1047 a 24 *τὸ δυνατόν* ita explanavit: *ἔστι δὲ δυνατὸν τοῦτο, ᾧ ἐὰν ὑπάρξῃ ἡ ἐνέργεια, ου λέγεται ἔχειν τὴν δύναμιν, οὐθὲν ἔσται ἀδύνατον*.

De significatione τοῦ ἐνδεχομένου.

Ita vero ad eam notionem delabimur, quae fere idem valere videtur atque *τὸ δυνατόν, τὸ ἐνδεχόμενον*, saepissime adhibitum ab eodem Alexandro; cuius vocabuli ut veram atque propriam vim indagemus, priusquam ad Alexandrum nos vertemus, conducet Aristotelem adire, qui et saepe et copiosissime de eo egit. Neque vero de omnibus significationibus, quae subesse possunt huic voci, disputabo (de quibus cf. Prantl, Log. d. Ab. I 166 sqq.), sed de eo *τοῦ ἐνδεχομένου* genere, quod affine est *τῷ δυνατῷ*.

Voci enim *τοῦ ἐνδεχομένου* complures Aristoteles supposuit significationes (Anal. pr. I 3 p. 25 a 37, cf. Alexandri comm. p. 37, 28 sqq.). Primum enim *τὸ ἐνδεχόμενον* adhibetur *κατὰ τοῦ ἀναγκαίου*, i. e. hoc nomen eis rebus datur, quae plerumque necessariae appellari solent. Cuius usus testimonium Aristoteles hoc affert exemplum: *τὸ ζῷον ἐνδέχεται κατὰ παντὸς ἀνθρώπου*. Atque in promptu est notionem animalis hominis propriam esse neque ullo modo a natura eius seiungi posse. Deinde Aristoteles ea *ἐνδεχόμενα* nominat, quae non *ἀναγκαῖα*, sed tantummodo *ὑπάρχοντα* sunt, i. e. quae sunt quidem, neque tamen cum necessitate coniuncta, sed casu quodam vel alia causa procreata, ut (p. 25 b 25): *τὸ λευκὸν τῷ ἱματίῳ ἐνδέχεται*. Quibus in exemplis, quamvis variam vocis *ἐνδεχομένου* vim illustratura sint, facile cognoscitur *τῷ ἐνδεχομένῳ* communem esse notionem adhaerendi; nam ut vesti color ita homini vita adhaeret vel, quod idem sibi vult, propria eius est. Optime autem hunc sensum ea assequitur definitio, qua Prantl p. 167 *τὸ ἐνδεχόμενον* ita circumscribit: „*ἐνδεχόμενον* ist

[1]) Arist. Met. Δ 12 p. 1019 b 30; cf. Alex. ad Met. p. 390, 36 sqq., ad Anal. pr. p. 183, 29.

schon etymologisch dasjenige, was in sich aufnimmt oder zulässt und verstattet, dass etwas an ihm sei; und wenn von einem Subjekte gesagt wird: *ἐνδέχεται εἶναι τοδί*, so heisst dies, dass das Subjekt als Substrat irgend eine attributive Bestimmung als statthafte in sich zulasse.“

Haec vero significatio principalis tertiae quoque speciei *τοῦ ἐνδεχομένου* subest. Nam quod cuiusque rei proprium est, idem est in potestate eius; nihil enim homo efficere potest, nullius rei faciendae habet facultatem, quae naturae eius adversaria sit. Atque hanc *τοῦ ἐνδεχομένου* speciem supra vidimus ab Aristotele eodem modo ac *τὸ δυνατόν* describi et cum illo confundi. Cf. praeter locos supra allatos: Anal. post. I 6 p. 74 b 38.

Iam ad Alexandrum nos vertemus, qui ad illustrandum *ἐνδεχόμενον* totum caput IX libri De fato contulit, ac statuemus Aristotele eum diligentius distinxisse inter *δυνατόν* et *ἐνδεχόμενον*. Definit autem Alexander c. 9, p. 175,2 *τὸ ἐνδεχόμενον* his verbis: *εἴ γε ταῦτα μὲν κυρίως ἐνδεχομένως γίνεσθαι λέγεται, ἐφ' ὧν καὶ τὸ ἐνδέχεσθαι μὴ γενέσθαι χώραν ἔχει . . τὰ δ' ἐξ ἀνάγκης γινόμενα οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι . .* Ac similiter p. 176,1: *τὸ δὲ ἐνδεχομένως γεγονὸς ἔν τινι καὶ μὴ γεγονέναι ἐν αὐτῷ οἷόν τε ἦν*. Opponit igitur *ἐνδεχόμενον* necessitati atque *ἐνδεχόμενον γενέσθαι* id appellat, quod potestatem habet etiam non eveniendi, unde sequitur *ἐνδεχομένως γενόμενον* illud dici, quod non necessitate factum est, sed ita, ut antequam fieret, facultatem haberet aut non aut aliter evadendi. Qua de causa *τὸ ἐνδεχόμενον* vocatur *δεκτικὸν τοῦ ἐναντίου αὐτῷ* (p. 175, 25 sq., 176,6 sq.). Ceterum eadem verbi definitio aliis quoque locis et huius scripti et aliorum nobis occurrit, ut c. 7 p. 172, 6; c. 30, p. 201,13; De anima II p. 182, 32. Quibus omnibus locis urgetur ab Alexandro *τῷ ἐνδεχομένῳ* contrarium esse *τὸ ἀναγκαῖον*, si quidem id necessarium sit, quod contrarie fieri non potuerit (p. 175, 5).

Quaestio nunc oritur, quanam re duo illa genera ancipitis, ut ita dicam, *τὸ δυνατόν* et *τὸ ἐνδεχόμενον*, inter se differant. Quorum prius supra iam exposuimus ab Alexandro ita definiri, ut *δυνατόν* illud sit, quod quin eveniat,

nequaquam impediatur. Itaque ne minime quidem haec notio opponitur necessitati, sed ei tantum, quod fieri aliqua re prohibetur, i. e. *τῷ ἀδυνάτῳ*. Huius vero cum id proprium sit, ut necessario non fiat, differentiam inter duas notiones ita circumscribere licebit, ut *τῷ ἐνδεχομένῳ* contrarium atque oppositum sit *τὸ ἀναγκαίως γινόμενον*, *τῷ δυνατῷ* autem *τὸ ἀναγκαίως μὴ γινόμενον*. Itaque quod *οὐ δυνατόν* est, *ἀδύνατον* nominatur, quod autem *οὐκ* est *ἐνδεχόμενον*, non *τῷ ἀδυνάτῳ*, sed *τῷ ἀναγκαίῳ* comparatur. Sed ut magis res perspicua sit, non satis habere debemus, cuinam notioni utrumque oppositum sit, circumscribere, sed conabimur differentiam per negationem explanatam, per positionem accuratius definire. *Δυνατόν* igitur idem est atque *δυνατὸν γενέσθαι*, quod evenire possit (geschehensmöglich), i. e. quod in se contineat facultatem eveniendi atque, ut re vera fiat, tantummodo ea perfectione indigeat, quam *ἐντελέχειαν* vel *ἐνέργειαν* Aristoteles nominat. *Τὸ ἐνδεχόμενον* autem libertatem habet in utramque partem se convertendi, cum, donec evenerit, aut ita fieri possit aut aliter; urgetur igitur in hac notione non ita facultas eveniendi atque transeundi a potestate (*δύναμις*) ad eventum et rem ipsam (*ἐντελέχεια*), quamvis haec non desit, sed quasi libera quaedam facultas, quae efficit, ut non ad finem certum atque praedestinatum res progredi debeant, sed varias formas accipere possint. Atque etiamsi haud pauci apud Alexandrum quoque inveniuntur loci, quibus *τὸ ἐνδεχόμενον* aut confundatur cum *δυνατῷ* (Quaest. I 4, p. 9,34; 10,1 sq.; I 18 p. 30,25 sqq.) aut adhibeatur pro notione *οἷόν τε* atque coniungatur cum infinitivo (Quaest. I 23, p. 36,19; II 4, p. 51,14; De an. I, p. 21,12; 46,16 cet.), plerumque tamen significatio liberae illius facultatis *τοῦ ἐνδεχομένου* voci adhaeret.

IV.
De diversis generibus causarum apud Stoicos.

Inde a § 34 Cicero Stoicorum de causis rerum rationes vituperat. Ipse enim cum causam esse statuat id, quod cuique rei efficienter antecedit, illos causam esse velle id, quod cuique rei antecedat („nam si conceditur — dicitur“). Ipse igitur cum causa cognita acquiescat, Stoicos cogi dicit causarum causas investigare atque ita ad absurdissima abire.

Quare neglegentiam eorum, qui inter genuinas causas inserere solent falsas, i. e. ea, quae praecesserant quidem alicui facto, sed non causa fuerant, cur eveniret, exemplis Cicero perstringit variis. Ita dicere eos contendit „quod in campum descenderim, id fuisse causae cur pila luderem,“ docetque nexum quidem intercedere inter descendendum et ludendum, causam vero ludendi fuisse non quod descenderim, sed quod pilam apprehenderim. Neque aliter res se habet in secundo et tertio exemplo. Hecuba genuit quidem Alexandrum, quem illi causam interitus Troiae appellare solent, neque tamen Ciceronis opinione, quia praecessit Troiae exitum, causa erat urbis deletae, non magis quam Tyndareus, Clytemnestrae, quae Agamemnonem interfecit pater, causa necis erat. Uberrime autem disputat Cicero de primis versibus Medeae Ennianae, ubi secundum Euripidem nutrix haec optat:

„Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accidisset abiegna ad terram trabes!“

Quos versus Stoici secundum Ciceronem ita interpretantur, quasi primum pinus caesa, deinde aedificata Argo causae fuerint amoris Medeae. Contra Cicero demonstrat hoc modo in infinitum Stoicis licere regredi. Ipsi quidem

arbor caesa et navis aedificata non causae sunt amoris, sed tantummodo antecedunt; amor igitur non illis rebus efficitur, sed eas modo sequitur. Quare verba: „Quorsum haec praeterita? Quia sequitur illud,

Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem,
Medea, animo aegro, amore saevo saucia,

non, ut eae res causam afferrent amoris" — ita intellegenda sunt: Quorsum pertinent versus antecedentes vel quam ob rem poëtae licebat eos praemittere? Hos non dicere debebat eo consilio, ut causam afferrent amoris, sed quia sequebatur amor pinum in Pelio monte decisam. Quae si tamen nexu causarum iungi voluit poëta, in eundem errorem delapsus est atque Stoici; cf. § 35: „ex hoc genere (scil. exemplorum iniuria a Stoicis prolatorum) illud est Ennii." Finitur autem § 35, ut Guilelmus Christ (qui in editione Orelliana altera libros De divinatione et De fato recensuit) vidit, verbis his, quae perperam libri mss. § 36 inserunt: „Nulla igitur earum est causa, quoniam nulla eam rem sua vi efficit, cuius dicitur causa." — Recte virum doctissimum iudicasse sine demonstratione patet. Verba enim ut ad § 35 finem optime quadrant, utpote cuius paragraphi sententiam iterum paucis comprehendant, ita ne § 36 inserantur, obstat non solum vox „earum," quae in § 36 non habet, ad quod referatur, in § 35 autem revocanda est ad vocem „res" („non ut eae res causam afferrent amoris"), sed etiam particula „igitur," quae in § 36 plane sensu caret.

Hoc autem enuntiato ad suum locum translato initium § 36 hanc speciem praebet:

„Interesse autem aiunt, utrum eiusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non possit, an eiusmodi, cum quo aliquid effici necesse sit. Nec id, sine quo quidpiam non fit, causa est, sed id, quod cum accessit id, cuius causa est, efficit necessario."

Haec verba patet a Stoicis dici defendentibus se contra expositionem, quae praecessit. Partes enim suscipiunt eius causae definitionis, quam Cicero-Carneades refutaverat. Eodem igitur modo Cicero procedit, quo et § 7 (cf. p. 22) et a § 20 ad 33 (cf. p. 12). Ubique breves Stoicorum defensiones continuae refutationi insertas invenimus. Hoc loco igitur Stoici, ne sua causarum definitio improbetur, duo genera causarum discernunt, eo scilicet consilio, ut servata ipsorum opinione simul adversariis satisfaciant. Distinguunt igitur causam, „sine qua aliquid effici non possit" et „cum qua aliquid effici necesse sit."

Sed monendum est lectionem „cum quo" non ex omni dubitatione exemptam esse. Optimi quidem libri manuscripti ABV praebent „cum quo", quos recentiores editores sequuntur, atque unus codex Erlangensis deterior omittit praepositionem. Eam autem rationem, qua Christius praepositionem defendit: scribendum esse „cum quo", quia paullo infra eaedem causae accedentes, non antecedentes dicantur — probare nequeo; nam quaestio est, quod infra disceptabimus, num re vera Ciceronis causa (quae accedens nominatur) et Stoicorum causa altera una eademque sint. Adde, quod § 34 forma activa „quae id efficit" et Top. XV § 58 elocutio: „causarum unum genus vi sua id, quod sub eam vim subiectum est, certe efficit" monere videntur delendam esse praepositionem. Certa igitur optimorum codicum lectio minime est, praesertim cum scriba facile adduci posset, ut locutioni „sine quo" opponeret „cum quo".

Sed non multum interest, utrum praepositionem addamus an eiciamus. Nam mihi quidem constat hac altera causa „(cum) qua aliquid necesse sit", quoquo modo eam significaverint, Stoicos accedere voluisse ad causam Ciceronianam: § 34 causa est, „quae id efficit, cuius est causa", vel „id causa est, quod cuique efficienter antecedat"; § 36: „quod cum accessit id, cuius causa est, efficit necessario." — Hoc enim inde sequitur, quod exempla Medeae, Hecubae, Tyndarei docent alteram Stoicorum causam, quam § 34 Cicero improbat, eam fuisse, „sine qua aliquid effici non possit", alteram igitur, „(cum) qua" additam esse, ut Carneadis contra illam rationes irritae redderentur.

Hoc enim certum est Hecubam non eam causam esse, cum qua vel qua necesse erat Troiam everti. Minime enim, ubi Hecuba nata est, statim de Troia actum erat. Restat igitur causa, sine qua non urbs deleri poterat.

Nam Hecuba nisi fuisset, Alexandrum non genuisset, neque hic rapuisset Helenam. Non aliter autem res se habet in Medeae exemplo, cum non n e c e s s e e s s e t amorem una cum navis aedificatione incendi, sed s i n e illa nave et agmine Argonautarum amor existere n o n posset. Cf. Topica c. 16 § 61, ubi aperte dicitur hoc exemplum Medeae esse ex eo genere, s i n e q u o a l i q u i d n o n f i a t.

Liquet igitur Stoicorum eam causae definitionem, de qua una usque ad § 36 disputabatur, contineri in eo genere, „sine quo aliquid effici non possit". Nunc accedit alterum genus consilio ab eis Carneadeae causae adaptatum. Neque negari potest summam intercedere inter utramque definitionem similitudinem ac paene easdem esse. Nam uterque id intellegi vult, quod ubi exstitit cum necessitate aliud quoddam efficit. Sed quaestio est, utrum Carneades, quamquam similitudo alterius Stoicae „(cum) qua" atque suae ipsius causae eum fugisse nequit, alteram quidem causam adversariorum agnoverit necne. Quod, si textum nostrum sequimur, confitendum est. Dicit enim Cicero: „Nec id, sine quo quidpiam non fit, causa est (reicit igitur prius genus, ut consentaneum est), sed id, quod cum accessit id, cuius causa est, efficit necessario". Hoc ita intellegi potest, ut videatur Carneades in hac altera causae definitione cum Chrysippo consentire.

Sed veri non est simile vel in hac una re cessisse Chrysippo adversarium; re vera enim etiam haec causa Chrysippi differt a Carneade. Nam hic a c c e d e r e dicit causam, cum qua aliquid efficitur, ille eam ex antecedentibus aliis aptam esse ducit. Accedit, quod post verba „necesse sit" Stoicorum defensio finita est et verba quae sequuntur „nec id" initio responsionis tam non apta sunt, ut ante haec verba colon excidisse suspicio oriatur. „Nec" particula enim, etsi et § 18 et 28 liberiore modo adhibita,[1]) explicari tamen potest;

[1]) § 18 m. „nec, cum haec ita sint, est causa", ubi, cum ad Epicureos scriptor transeat plane Stoicis contrarios, „neque tamen" exspectatur; et maxime § 28 compluribus locis. Initio enim legimus „Nec si omne ennntiatum" pro „neque tamen" (cf. supra p. 5); deinde in eadem paragrapho verbis „nec ob eam causam ..." vox „vero" addi debebat, sine qua primo aspectu nemo videbit summam esse controversiam inter haec verba et initium enuntiati „Et tamen tam est immutabile venturum, cum est verum, quam venisse. Denique in eadem paragrapho locus commemorandus est, in quo diu supra morati sumus: „Nec nos impediet ...". ubi Cicero particula „nec" incipit plane novam disputationem cum antecedentibus non coniunctam.

hic vero adversativa particula videmur carere non posse Qua re nolo tacere Brunsium etsi dubitanter hoc supplementum proposuisse: „Interesse autem aiunt, utrum eiusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non possit, an eiusmodi, cum quo aliquid effici necesse sit. A t n e c i d, c u m q u o a l i q u i d n e c e s s e e s t, nec id, sine quo ...". Tum quidem Ciceronem suam causam ab adversariorum u t r o q u e genere causarum distinxisse apparet.

Sed nolo de re dubia certiora constituere. Alia quaestio est, quae neglecta ab interpretibus hoc loco solvenda videatur; itaque veterum locos examinabo, quibus de eadem re, scil de causarum Stoicarum generibus, disputatur.

Videamus igitur primum Alexandri Aphrodisiensis c. 22 supra (p. 20) a nobis memoratum, ubi p. 192, 18 ed. acad. dicit: *σμῆνος γὰρ αἰτίων καταλέγουσιν* (sc. *οἱ Στωικοί*), *τὰ μὲν προκαταρκτικά, τὰ δὲ συναίτια, τὰ δὲ ἑκτικά, τὰ δὲ συνεκτικά, τὰ δὲ ἄλλο τι.* Quae singula genera quomodo differant, auctor non addit. Praeterea a Brunsio moneor vocem *ἑκτικά* non traditam, sed a Caselio et in editione Londiniana coniectura positam esse pro *ἀκτικά*, quod in Veneto optimo codice exstat atque in apographo Estensi s. Mutinensi mutatum est in *ἀρκτικά*. *Ἑκτικά* igitur coniecturae debetur fortasse falsae. Nam *ἑκτικὰ αἴτια* neque ullo alio loco, quantum scio, a philosopho quodam memorantur neque quid significent elucet. Sed quidnam re vera Alexander scripserit, diiudicari nequit. Putaveris fortasse legendum esse *ἀρκτικά*, quod habet cod. E; sed ne *ἀρκτικὰ* quidem *αἴτια* usquam inveniuntur: vel *τελικά*, de quibus Suidas s. v. *αἴτιον*: *καὶ τῶν αἰτίων τὰ μὲν προκαταρκτικά, τὰ δὲ συνεργὰ ἢ συναίτια,*

τὰ δὲ τελικά. Sed haec *τελικὰ αἴτια*, quae a nemine alio Stoicis adscribuntur, nisi forte cum Aristotelis quarto causarum genere confusa sunt (*ὕλη, εἶδος, ποιητικόν, τέλος*, cf. Alexandr. De fato 3, p. 166, 23) idem significant atque *τὸ συνεκτικόν* Alexandri, ex quo infra videbimus effici *τὸ ἀποτέλεσμα*. Proxime autem fortasse ad veritatem accedemus, si *ἀκτικά* ex *αἴτια* corruptum esse ponemus: *τὰ μὲν προκαταρκτικά, τά δὲ συναίτια, τὰ δὲ α ἴ τ ι α* [*τὰ δὲ*] *συνεκτικά, τὰ δὲ ἄλλο τι*.

Sed missis his coniecturis Sexti Empirici locum quendam inspiciamus, qui est in Pyrrh. hypot. III § 15 sq.:

Τούτων δὲ τῶν αἰτίων οἱ μὲν πλείους ἡγοῦνται τὰ μὲν συνεκτικὰ εἶναι, τὰ δὲ συναίτια, τὰ δὲ συνεργά · καὶ συνεκτικὰ μὲν ὑπάρχειν, ὧν παρόντων πάρεστι τὸ ἀποτέλεσμα καὶ αἰρομένων αἴρεται καὶ μειουμένων μειοῦται · οὕτω γὰρ τὴν περίθεσιν τῆς στραγγάλης αἴτιον εἶναί φασι τοῦ πνιγμοῦ. συναίτιον δέ, ὃ τὴν ἴσην εἰσφέρεται δύναμιν ἑτέρῳ συναιτίῳ πρὸς τὸ εἶναι τὸ ἀποτέλεσμα · οὕτως ἕκαστον τῶν ἑλκόντων τὸ ἄροτρον βοῶν αἴτιον εἶναί φασι τῆς ὁλκῆς τοῦ ἀρότρου · συνεργὸν δέ, ὃ βραχεῖαν εἰσφέρεται δύναμιν καὶ πρὸς τὸ μετὰ ῥᾳστώνης ὑπάρχειν τὸ ἀποτέλεσμα · οἷον, ὅτ' ἂν δυοῖν βάρος τι βασταζόντων μόλις, τρίτος προσελθὼν συγκουφίσῃ τοῦτο. ἔνιοι μέντοι καὶ παρόντα μελλόντων αἴτια ἔφασαν εἶναι, ὡς τὰ προκαταρκτικά · οἷον τὴν ἐπιτεταμένην ἡλίωσιν πυρετοῦ · τινὲς δὲ ταῦτα παρῃτήσαντο, ἐπειδὴ τὸ αἴτιον πρός τι ὑπάρχον καὶ πρὸς τὸ ἀποτέλεσμα ὂν οὐ δύναται προηγεῖσθαι αὐτοῦ ὡς αἴτιον.

Plerosque igitur philosophos Sextus nuntiat tres causas distinxisse: *συνεκτικά, συναίτια, συνεργά*, nonnullos addere *προκαταρκτικά*. Quae genera, nisi quod *συναίτια* et *συνεργά* non distinguntur, etiam apud Alexandrum sunt, qui addit *προκαταρκτικά* et dubia illa *ἑκτικά*. E quibus *τὰ συνεκτικά* sunt, *ὧν παρόντων πάρεστι τὸ ἀποτέλεσμα*; accurate igitur respondent ei Ciceroniano generi § 36, „cum quo aliquid effici necesse sit,“ „quod cum accessit id, cuius causa est, efficit necessario“[1]). *Τὸ συναίτιον* deinde et *συνεργόν* nihil

sunt nisi *συνεκτικόν*, ita tamen, ut nisi complures harum causarum uno tempore conveniunt, res non perficiatur. Duo enim boves si aratrum vehunt, vera atque efficiens causa promovendi sunt, i. e. *αἴτιον συνεκτικόν*; unusquisque autem bos est *συναίτιον*. Causae denique *προκαταρκτικοί* non ab omnibus probatae „causae futurorum“ sunt. Eorum igitur non est, necessario aliquid efficere, sed a n t e c e d e r e; quare plane consentiunt cum causis, „sine quibus aliquid effici non possit“, quas ipsas a Carneade non agnosci vidimus.

Cum Sexto non plane congruit Clemens Alexandrinus VIII 9,25:

Τῶν αἰτίων τὰ μὲν προκαταρκτικά, τὰ δὲ συνεκτικά, τὰ δὲ συνεργά, τὰ δὲ ὧν οὐκ ἄνευ. Προκαταρκτικὰ μὲν τὰ πρώτως ἀφορμὴν παρεχόμενα εἰς τὸ γίνεσθαί τι, καθάπερ τὸ κάλλος τοῖς ἀκολάστοις τοῦ ἔρωτος · ὀφθὲν γὰρ αὐτοῖς τὴν ἐρωτικὴν διάθεσιν ἐμποιεῖ μόνον, οὐ μὴν κατηναγκασμένως. Συνεκτικὰ δὲ ἅπερ συνωνύμως καὶ αὐτοτελῆ καλεῖται, ἐπειδήπερ αὐτάρκως δι' αὐτοῦ ποιητικόν ἐστι τοῦ ἀποτελέσματος. Ἑξῆς δὲ παρὰ τὰ αἴτια ἐπὶ τοῦ μανθάνοντος δεικτέον. Ὁ μὲν πατὴρ αἴτιόν ἐστι προκαταρκτικὸν τῆς μαθήσεως, ὁ διδάσκαλος δὲ συνεκτικόν, ἡ δὲ τοῦ μανθάνοντος φύσις συνεργὸν αἴτιον, ὁ δὲ χρόνος τῶν, ὧν οὐκ ἄνευ, λόγον ἐπέχει.

Τὰ συνεκτικὰ αἴτια igitur etiam *αὐτοτελῆ* appellantur; *συνεργά* et *συναίτια* non discernuntur; praeter *τὰ προκαταρκτικά* vero (quam notionem exemplis demonstratur eandem esse atque apud Sextum, i. e. quod Cicero nominat „sine quo aliquid non efficitur“) etiam *τὰ ὧν οὐκ ἄνευ* memorantur, iterum igitur ea, sine quibus aliquid non fit. Quod autem harum causarum exemplum a Clemente affertur (discipuli

[1]) Ac nomen quidem inde ortum est, quia hae causae c o h i b e n t in se vim efficiendi, cf. Cic. § 19: „causas cohibentes in se efficientiam naturalem“. Ceterum *τὸ αἴτιον συνεκτικόν* iam apud Aristotelem offendimus, *π. κόσμου* c. 6 init., p. 397 b 9: *Λοιπὸν δὲ δὴ περὶ τῆς τῶν ὅλων συνεκτικῆς αἰτίας κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν*, i. e. de causa, quae omnia in se cohibet. Cf. Simplic. comment. ad Aristot. Phys. II 3 p. 195 b 21 (Simpl. p. 326,15 ed. ac.).

atque discendi αἰτίαν, ἧς οὐκ ἄνευ tempus esse), ab hoc nostra quidem sententia nomen causae omnino abiudicandum est; quamquam enim sine tempore discipulum nihil discere concedimus, tamen nos tempus non causam, sed condicionem, sine qua non discitur, appellamus.

Redeundum iam est ad Ciceronem. Quem supra (p. 46) commemoravimus plane eandem, quam § 36, distinctionem causarum etiam in Topicis, ubi dialecticos, i. e. Stoicos (cf. c. 2 § 6) sequitur, c. 15 § 58 facere: „Causarum igitur genera duo sunt: unum, quod vi sua id, quod sub eam vim subiectum est, certe efficit, ut ignis accendit; alterum, quod naturam efficiendi non habet, sed sine quo effici non possit, ut si quis aes causam statuae velit dicere, quod sine eo non possit effici.“ Hoc exemplum statuae mentionem facit eius, quod Clemens exhibet, scil. tempus esse causam, sine qua nihil disci possit. Nam ut tempus ita aes minime est causa antecedens (προκαταρκτική). Hanc autem differentiam, quae est in eo, quod Cicero causam, „sine qua non“ appellat, ipse vel auctor eius non neglexit, sed ita pergit (§ 59): „huius generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo ut locus, tempus, materia, ferramenta et cetera generis eiusdem; alia autem praecursionem quandam adhibent ad efficiendum et quaedam afferunt per se adiuvantia, etsi non necessaria, ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum ex aeternitate pendentium fatum a Stoicis nectitur.“

Sed etiam illa quam modo dixi sententia, scil. τὰ συναίτια et συνεργά nihil esse nisi causas συνεκτικούς, confirmatur ipsis, quae sequuntur, verbis Ciceronis: „Atque ut earum causarum, sine quibus effici non potest, genera divisi, sic etiam efficientium dividi possunt. Sunt enim aliae causae, quae plane efficiant, nulla re adiuvante; aliae, quae adiuvari velint; ut sapientia efficit sapientes sola per se, beatos efficiat necne sola per se, quaestio est.“

Iam vero ita instructi ad libri De fato § 41 accedamus. Hoc loco iterum bipartito a Chrysippo causas distributas esse audimus: „Chrysippus autem, cum et necessitatem improbaret et nihil vellet sine praepositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat et retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliae sunt perfectae et principales, aliae adiuvantes et proximae.“

Vides neque nomina causarum eadem esse atque in § 36 neque in hac § 41 distinguendi causas eandem rationem Stoicos habuisse atque in illa. Tum enim, ne a Carneade causa sua antecedens atque ex aeternitate pendens improbaretur, huic causae („sine qua non“) alteram addiderunt atque hanc, quantum fieri posset, Carneadeae adaptarunt. Hanc autem § 41 distinctionem causarum ideo fecit Chrysippus (ipsius nomen affertur, quare haec quidem divisio multo ante Carneadis tempora facta esse videtur; cf. autem § 36: „interesse aiunt“) „ut necessitatem effugeret et retineret fatum.“ Quod ita ei contingit, ut necessitatem tantummodo principalibus causis adscribat, fatum autem repetat e causis proximis et adiuvantibus. Itaque, si nostro loco credimus, Chrysippus adversariorum causis (principalibus), quae cum necessitate efficiebant sua, ne aeterna serie causarum servata secundum doctrinam suam omnia ex aeternitate necessario fierent, novum genus causarum adiunxit, quod non cum necessitate res efficeret, causas adiuvantes.

Mirifica igitur differentia intercedit inter § 36 et 41, quae significare videtur non ex eodem fonte Ciceronem hausisse. Tamen ipsa causarum distributio utroque loco plane eadem est; mihi quidem constat causas principales vel perfectas, quae necessariae sunt, consentire cum causis, „(cum) quibus aliquid effici necesse sit.“ Utriusque enim generis commune est ad rem procreandam sufficere eamque necessario procreare. Earum e. g. rerum, quae ab homine moventur, homo ipse causa principalis est. Causae proximae autem et adiuvantes, quae, cum fatum eis attribuatur,[1]) ex

[1]) § 41. „Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant antepositis; verum non principalibus causis et perfectis, sed adiuvantibus et proximis“.

aeternitate pendent, accurate causis *προκαταρκτικοῖς*, „sine quibus aliquid non efficitur," respondent, quae ipsae quoque rei antecedunt, neque tamen efficienter; cf. quem ex Topicis p. 50 citavimus locum.

Itaque idem significant:

P r i m u m: *αἰτίαι συνεκτικοί*, causae principales, causae (cum) quibus aliquid cum necessitate efficitur.

(*Τὰ συναίτια* et *συνεργὰ αἴτια* item causae principales sunt, sed quarum, ut efficientes sint, complures convenire debent.)

D e i n d e: *αἴτια προκαταρκτικά*, causae proximae, causae sine quibus aliquid non efficiatur.

E quo genere sunt etiam *αἴτια, ὧν οὐκ ἄνευ*.

Ceterum, cur causae adiuvantes etiam proximae et continentes (§ 44 init.), i. e. „die nächsten, angrenzenden", appellentur, mihi non plane liquet. Neque enim rei ipsi proximae et continentes sunt, sed contrarie longius absunt a re quam causae principales, cum nunquam ipsae efficientes sint, sed principalem causam requirant. Fortasse nomen inde exortum est, quod dignitate principalibus causis proximae sunt.

Quomodo autem Chrysippus partitione causarum necessitatem effugiat, § 42 exponitur. Hac enim paragrapho Stoicus adversariis oblocutus tantummodo in eos, qui solas causas principales approbent, affirmat valere illam conclusionem, scil. fatum nihil in nostra potestate relinquere, sed necessitatem ferre; sibi enim fatum non e causis principalibus et necessitatem cohibentibus, sed e causis proximis constare videri. Cf. Plutarch. de rep. Stoic. c. 47, p. 1056 B: . . . *Χρύσιππος οὐκ αὐτοτελῆ τούτων αἰτίαν ἀλλὰ προκαταρκτικὴν μόνον ἐποιεῖτο τὴν εἱμαρμένην*.

Actiones enim nostrae, pergit deinde Chrysippus, pendent ex assensionibus, hae autem, „nisi commotae viso fieri non possunt". Visum autem assensionis non est causa principalis, sed proxima,[1]) quia, ut assensio perficiatur, accedat oportet, ut nos viso assentiamur. Quod illustratur exemplo

[1]) Cf. § 44: „proximam causam esse in viso;" itaque § 42: „visum proximam causam habeat" significat: visum pr. causam in se contineat", vel „visum s i t proxima causa".

cylindri; nam ut hic, simul motus est, deinde sua vi volvitur, ita assensio movetur visis, neque tamen nisi ipsa nostra vi perficitur. Idem exemplum affertur a Gellio VII (VI) 2, 11, qui ipse quoque dicit „voluntatem cuiusque propriam et animorum ingenia actiones nostras moderari". Sed differunt Cicero et Gellius, quod hic distinctionem inter fatum et necessitatem, quam Cicero Chrysippo attribuit, non commemorat.

Itaque, cum visum proxima tantummodo causa sit assensionis, neque actiones nostrae necessitati subiectae sunt et liberum arbitrium servatur.

Nunc etiam § 44 spero posse accuratius explicari, quae magnas viris doctis dedit offensiones. Ac primum de lectione initii disputandum est. Codices enim tradunt omnes: si illi, qui negant assensiones fato fieri, fateantur t a m e n eas n o n sine viso antecedente fieri, alia ratio est. Sed si . . . . ". Quam lectionem sanam esse negans Lambinus sensu non plane perspecto particulam „non" delevit. Sed primum vox „fateantur" concessionem quandam continet, quam, ut est sensus totius loci, Stoicis adversarii faciunt; Stoici autem affirmaverant (§ 42 sq.) fieri assensiones n o n sine viso antecedente; unde efficitur „non" esse retinendum. Deinde negatione deleta vox „tamen" sensu careret, quoniam ei, qui negant assensiones fato fieri, atque ei, qui sine viso antecedente eas fieri contendunt, non sibi contrarii sunt; nam qui visis assensiones fieri negant, eos consentaneum est etiam fato illas liberare.

Itaque Bremi, quem plerique editores atque Schmekel (p. 177,1) secuti sunt, particula „tamen" deleta non solum negationem retinuit, sed aliud „non" ante „fateantur" interiecit: „si illi, qui negant assensiones fato fieri, non fateantur eas non sine viso antecedente fieri, alia ratio est". Sed neglexerunt v. d. hac lectione accepta Chrysippum iam non cum uno, sed duobus adversariorum generibus comparari. Certissimum autem est eosdem et verbis „si illi —" et verbis „itemque illi —" notari.

Omnia enim, ut dicam quid sentiam, sana sunt in hac paragraphi parte. Quod priusquam accuratiore interpretatione probem, antea, ne disputatio nostra infra impediatur, de verbis

paullo post sequentibus dicam, quae leguntur in codicibus: „neque enim Chrysippus concedens adsensionis proximam et continentem causam esse in viso positam n e q u e eam causam esse ad adsentiendum necessariam concedet . . .“. Alterum autem „neque“ iam a Lambino et Turnebo,[1]) „quia sensus, qui libris omnibus potior sit, vocem non admittat“, eiectum est, atque optimo iure, ut mihi videtur. Nam qui flagitatur sensus a Madvigio Lambinum secuto recte ita circumscribitur: „Chrysippus concedit in viso esse aliquam causam, non vero esse necessariam ad assentiendum; n o n concedit omnia causis fieri antecedentibus et necessariis“. Quam sententiam qua de causa Gercke p. 704 affirmet cum Chrysippo convenire ut cum aqua ignem, equidem non perspicio. Verum est totum locum a § 41 ad 45 haud raro contra reliquam Stoicorum doctrinam pugnare; sed non aliter, quam Stoici secum pugnant, ubi fatum demonstrant et ubi id, quod fieri potest, servare student. Non mirum est eosdem, ubi de aeterna causarum serie disputant, aliam speciem induere atque ubi liberam voluntatem tueri conantur. Qua re nil obstat, quominus his quidem paragraphis, ubi liberum arbitrium sibi vindicat Chrysippus, Cicero illum negare dicit causas adiuvantes ullam necessitatem secum ducere.

Construit autem Gercke, qui ut loco modo a nobis explanato (cf. p. 53) ita hic quoque codices sequitur, enuntiatum ita, ut Ciceronem ea dicendi forma usum esse iudicet, de qua supra p. 28 sqq. fusius egi, ubi pro: „si hoc est, illud quoque est“ ponitur: „non et hoc est et illud non est.“ Eandem igitur nostro loco formam adhibitam esse ratus totum enuntiatum graece ita circumscribit: „*Χρύσ. οὖν λέγων „„οὐκ αἴτιον μὲν συνεκτικόν τε καὶ συνεργὸν ἐν τῇ φαντασίᾳ ὑπάρχειν, οὐχὶ δὲ καὶ ἀναγκαῖον εἶναι τοῦτο πρὸς συγκατατιθέναι“ “ λέγει* . . ., i. e. Chrysippus contendit, si posita sit in viso causa, eam necessariam esse.“ Sed plane errat vir doctissimus. Primum enim haec si voluisset Cicero debebat initium huius enuntiati ita formare: „Chrysippus enim cedens non ... et...et ....“ Deinde autem, id quod gravissimum est, tota hac expositione Chrysippus secundum Ciceronem aperte profitetur visum assentiendi n o n esse causam necessariam, sed proximam.

[1]) quos, postquam editiones Orelliana altera et Tauchnitiana voculam iterum inseruerunt, nunc rursus sequitur C. F. W. Mueller in ed. Teubn.

Iam vero redeo ad initium § 44, quod dixi sine turbis mihi videri traditum esse. Nam ne verba quidem „alia ratio est“ offendent, si animum adverteris ea tantummodo de externa specie demonstrationis dicta esse. Concedunt forma adversarios Chrysippi differre a Stoico philosopho, sed re idem dicere. Quare totam sententiam ita circumscribam:

Quae cum ita sint a Chrysippo explicata, hoc consequitur: si adversarii Chrysippi, qui negant assensiones fato fieri, tamen, quamquam illud negant, fateantur eas non sine viso antecedente fieri, argumentandi forma quidem utuntur aliena a Chrysippo. Sed si hoc concedunt anteire visa, fato autem fieri assensiones propterea negant, quia visa ut causae proximae assensionum has non necessario atque efficienter moveant, tamen, si accurate rem perspexeris, idem ille atque Chrysippus dicere videntur. Nam Chrysippus quoque, cum concedat visum esse assensionis causam p r o x i m a m i. e. non necessariam, non concedet si omnia fato fiant omnia fieri causis n e c e s s a r i i s. Chrysippus igitur fatum in eo ponit, ut cuique rei causae proximae nec necessariae antecedant; atque id quidem adversarii ei concedere debent: s i hoc modo fatum definiendum sit, recte eum iudicare omnia fato fieri, quoniam id confitentur, fieri assensiones non sine viso antecedente. Plane igitur consentiunt, cum uterque concedat esse quasdam res, quae causis antecedentibus neque necessariis fiant; differentia in eo solum posita est, ut Chrysippus his causis nomen fati det, adversarii idem ab eis abiudicent.

Hanc differentiam iterum § 45 Cicero exponit. Complura, inquit, uterque concedit, primum esse causas, quae cum necessitate rem perficiant, deinde causas esse, quae antecedant quidem, neque tamen necessario, cum voluntas nostra accedere oporteat, quare in nostra potestate eventus sit. Denique in eo congruunt, ut ambo prius causarum genus fatum appellent. Differentia igitur ea sola est, ut po-

sterius genus a Chrysippo ipsum quoque fatum nominetur, ab adversariis autem non[1]).

Hanc sententiam, quae §§ 44 et 45 profertur, quominus Carneadis esse opinemur plures causae prohibent. Carneades enim non solum causas adiuvantes (sine quibus aliquid non efficitur) non agnoscit (§ 36: „nec id, sine quo quidpiam non fit, causa est"), sed etiam fatum acerrime impugnat, quippe quod non possit necessitatem non ferre et liberum arbitrium delere[2]).

Tamen Schmekelius vel huius partis originem Carneadeam conatus est defendere (p. 178 extr. Bei seiner Vermittlung — 179 unbedingte Notwendigkeit lehre). Ita autem opinionem suam tuetur, ut a § 41 usque ad 45 Chrysippi sententiam copiose a Carneade enarratam, deinde in ea parte, quae post § 45 excidit, impugnatam esse dicat. Cui coniecturae minime possum adstipulari. Plane enim est contra rationem eius disputationis, qua Cicero § 1—38 utitur, ut accurate sententiae Chrysippi referantur et cum adversariis concilientur. Videmus enim illam et omnem directam esse contra Chrysippum et summa brevitate uti in referendis Chrysippeis opinionibus, et Chrysippea eo tantum consilio adhiberi, ut statim profligentur. Quare si A. Gercke (p. 693) unicum libelli fontem Antiochi Ascalonitae scriptionem fuisse censet, hoc de ceteris quidem libri De fato partibus iure negat Schmekel, sed placet illius sententia in §§ 41—45, quae Ascalonitae more diversissimas philosophorum opiniones inter se conciliare et ad unam sententiam redigere student.

---

[1]) Nam sensus flagitat, ut postrema verba § 45 ita fere suppleantur: alteri utrumque fato fieri censent.

[2]) § 20: Nec ... (Diodorus et Carneades) fati necessitatem confirmant. At qui introducunt causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati devinciunt. § 6: Quid attinet inculcare fatum, cum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur? § 31: Si omnia necessitas efficit, nihil est in nostra potestate. Est autem aliquid in nostra posestate ... Non igitur fato fiunt, quaecunque fiunt.

Tres igitur sententiae nobis occurrunt:

Primum adversariorum, qui eo deducere student Chrysippum, ut de libera voluntate desistat. Inter hos sane fuit Carneades; nam optime cum ceteris eius placitis convenit, quod § 40: „Qui autem — supplicia" exponitur.

Deinde Chrysippi, qui causis bipartitis liberum arbitrium se servaturum esse sperat. Eius opinio §§ 41—43 enarrata est, quibus paragraphis contra Carneadis conclusiones pugnat, quae valeant in eos tantum, qui solas principales causas agnoscant.

Tertium cuniunctio sententiarum antecedentium (§§ 44 et 45), quam, si recte Gercke vidit, ex Antiocho Cicero hausit.

Addo (de qua re Bruns me monuit) eandem Chrysippi argumentationem (§ 41—43) referri etiam ab Alexandro Aphrodisiensi c. 13, p. 181,13 sqq., verbis quidem tam diversis a Cicerone, ut primo aspectu vix ulla similitudo inter utrumque intecedere videatur. Alexander enim Stoicis obiciens, quae *δι' ἡμῶν* fiant, eos *ἐφ' ἡμῖν* appellare, ita disserit: *ἐπεὶ γάρ, φασιν, τῶν ὄντων τε καὶ γινομένων αἱ φύσεις ἕτεραί τε καὶ διάφοροι* ..., *γίνεται δὲ τὰ ὑφ' ἑκάστου γινόμενα κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, τὰ μὲν ὑπὸ λίθου κατὰ τὴν λίθου, τὰ δ' ὑπὸ πυρὸς κατὰ τὴν πυρός, καὶ τὰ ὑπὸ ζῴου κατὰ τὴν ζῴου, οὐδὲν μὲν τῶν κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν ὑφ' ἑκάστου γινομένων δύνασθαί φασιν ἄλλως ἔχειν, ἀλλ' ἕκαστον τῶν γινομένων ὑπ' αὐτῶν γίνεσθαι κατηναγκασμένως.* Et p. 182,7: *πᾶν γὰρ ζῷον ὡς ζῷον κινούμενον κινεῖσθαι τὴν καθ' ὁρμὴν κίνησιν ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης διὰ ζῴου γινομένην.*

Itaque omnes res „a fato per hominem vel animal" fiunt, i. e. movetur quidem res fato, perfici autem nequit nisi nostra ipsa natura accedente. Plane igitur eadem ratione apud Ciceronem Chrysippus a fato proximas tantum rerum causas pendere contendit, quae ut perfectae sint, principali et perfecta causa, scil. hominis voluntate, indigeant. (Cf. quod §§ 42 et 43 adhibet exemplum cylindri).

Vita.

Natus sum Guilelmus Stüve Suerinensis Megalopolitanus anno 1872 die XXVI. mens. Aug. patre Christiano, matre Emilia e gente Mantow. Fidem profiteor evangelicam. Elementis litterarum primum in urbe patria, deinde Kiliae, quo pater transmigraverat, imbutus inde ab anno 1883 huius urbis gymnasium frequentavi, cuius praeceptores antiquitatis Graecae et Romanae amorem magnopere in me aluisse grato animo profiteor. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1891 universitatem Kiliensem adii, ut studiis philologicis et historicis me darem. Hic per tria semestria commoratus Berolinum me contuli, unde bis sex mensibus post Kiliam reverti.

Examen rigorosum superavi die II. mens Aug. huius anni.

Docuerunt autem me viri doctissimi hice: Curtius, Dessau, Diels, Grimm, Hirschfeld, Kekulé, Lenz, Paulsen, Runze, Scheffer-Boichorst, Thomas, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach Berolinenses; Blass, Bruns, Busolt, Cauer, Deussen, Erdmann, Forchhammer, Glogau, Oldenberg, Rodenberg, Rossbach, Schirren, Schöne, Weber Kilienses. Seminarii philologici per quattuor semestria sodalis fui ordinarius. Praeterea interfui exercitationibus philosophicis, quas instituerunt Deussen et Glogau, atque seminario historico, cui praeerant Busolt et Schirren.

Quibus omnibus viris doctissimis optimeque de me meritis semper gratias habebo quam maximas, imprimis vero Brunsio, suscipiendae mihi huius commentationis auctori, qui in ea conficienda omni tempore benevolentissime me adiuvit.

Theses.

I.

In Alexandri Aphrodisiensis Quaest. I 4 p. 11 v. 33 pro verbis corruptis: *πᾶν γὰρ οἷόν τε* lego: *παντάπασιν οὖν*.

II.

Apud Ciceronem De fato IX 18 scribendum est: Sic si diceretur „Morietur noctu in cubiculo suo vi oppressus Scipio“, non minus vere diceretur.

III.

Errare contendo Gomperzium, qui (Sitz. Ber. der phil. hist. Klasse der Wiener Akademie tom. 103, ao. 1883, p. 159) in Herodoti codicum classe β, quae complectitur librum Romanum (R), Vindobonensem (v), Sancroftianum (s), codici Romano praefert Vindobonensem.

IV.

In enarranda origine belli Punici secundi non uni Polybio fides tribuenda, sed Livius quoque adhibendus est.